



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Io. Frobenivs Lectori S. Iacobvs Faber Stapulensis in
secu[n]da suarum in Paulum adnotationu[m] æditione,
Erasmvm nostru[m] erroris notauit ... At hic ... hanc
Apologia[m] effudit ...**

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 2006

urn:nbn:de:hbz:466:1-34456



29

ERZBISCHÖFL.
AKADEMISCHE
BIBLIOTHEK
LEOSTR. 21
PADERBORN

1

IO. FROBENIVS LECTORI S.

IACOBVS Faber Stapulensis in secūda
suarum in Paulum adnotationū æditiōne,
ERASMVM nostrū erroris notauit, ipse
fœdissime hallucinatus. At hic (o diuinā in
genij prōptitudinē) etiā dū ab officina calē
te opere, quatuordecim dūtaxat diecularū
spacio, hanc Apologiā effudit uerius q̄ scri
psit. Ex ea tamen breui, sed mire docta, ue
lut leonē (quod aiūt) ab unguiculis, æstima
re licet, quā sit ERASMVS Theologica
rum etiā argutiarū nō ignarus, quibus nūc
Theologi passim in scholis utunt̄. Adiecit
quidam apud nos, pauculas in marginibus
adnotatiunculas, ut lectori cōsuleret. Eme,
lege, & ERASMVM θεολογικώτατον ἢ
διαλεκτικώτατον, hoc est, summū Theologū
& acerrimum disputatorem deprehendes.
Argumentum Apologiæ sequens pagella
copiosius explicabit. Bene Vale.

27 I 59

ARGVMENTVM APOLOGIÆ
SEQVENTIS.



IN VERSV Psalmi octauī, Minuisti eū paulominus ab angelis, quē Paulus in epistola ad Hebræos cap. secundo, CHRISTO accōmodat, Erasmus annotarat ex Hieronymi sententia apud Hebræos esse, non ab angelis, sed à Deo. Cæterū septuaginta uertisse ab angelis: sed in utraq; lectione obstare scrupū, quod nec à Deo paululū uideatur imminutus, qui mortale corpus assumpserit: nec ab angelis, cum plurimū intersit inter mortale, & immortale: imo infra infimos homines fuisse diminutū, incolumi semper CHRISTI dignitate: qui plus malorum passus sit, quàm quisq; hominū. Eum autem scrupum tolli, si paulominus quod Græcis est βραχύτι, ad temporis modum referatur, quo CHRISTVS uersatus est in terris, usq; ad resurrectionem, quemadmodū interpretantur omnes græci Theologi. Faber cōtendit non posse legi nisi à deo, Cæterum falsum & impium esse sermonem, & CHRISTO, Deoq; indignissimū, si quis dicat Deum ab angelis diminutū, aut infra homines: quod tamen hactenus latina pariter, ac græca legit ecclesia, & uniuersi utriusq; linguæ doctores sequuntur, nisi quod unus Hieronymus annotauit, à Deo legi Hebræis, licet non improbens alteram lectionem.

Erasmus

ERASMVS ROTTE

RODAMVS, IACOBO FABRO STA
PVLENSI INSIGNI PHILO-
SOPHO, S. D.



*
VM ESSEDVM CON-
scenderem, eruditissime Fa-
ber, Louanium cōmigratu-
rus: Id enim malui, q̄ principi-
pem in Hispanias comita-
ri: commodum submonuit
me quidam amicus Com-
mentarios in Paulum, iterū
abs te æditos, in quibus me/
cum proluxa disputatione cōflictareris, simulq̄ locum
indicauit: nēpe epistolæ ad Hebræos, caput secundū.
Ego lætus, ilico librū à Bibliopola mihi curauit. Interea
dū uehor, ita ut sit, quoties noua res subito obijcit: præ-
sertim siquid ad nos attinet, auide lego tuā illam Apo-
logiam, uel pugnā potius: qua tanto calore, tantāq̄ ue-
hementia pro tuis aris, ac focis dimicas: ut non sat ha-
beas, quod à tuis rebus erat interuersum, recepisse: sed
ultra etiam in meas possessiones incurfas: sicq̄ tuas co-
pias tueris, ut parum tibi sit nostrā aciem profligasse.
Verū ipse uictoriæ successu gestiens, in mea castra pro-
a 2 curris.

curris, populabundus, ac ferox, ac ueluti geminis tro-
 phæis insignis, simul & tuis receptis, & mihi detractis
 opimis spolijs. Legi uero uir optime, nullo quidem sto-
 macho: sed tamen, ut ingenue quod res est fatear, non
 omnino nullo animi dolore, non quod grauate feram
 admoneri, aut etiã reprehendi ab amico: præsertim au-
 tem ab amico tali, tam erudito, tam integro: sed quod
 optarim te in ea conflictatione, cum homine, ut scribis,
 peramico paulo amicus fuisse uersatum: neq; id sanè
 perinde mea causa, atq; tua, uel aliorum potius. Neq;
 enim ipse quicq; addubito, quin tu siue tuopte iudicio
 negociũ hoc sumpseris, siue alieno impulsu susceperis,
 simplici, puróq; animo id feceris. Verũ ut sunt pleriq;
 mortaliũ, ad deteriora suspicaces, fortasse non deerunt,
 qui interpretetur nõnullos æmulationis stimulos inter
 nos intercessisse: & fortassis Hesiodiũ illud in nos tor-
 quebunt, Fabrum inuidere fabro: atq; eo magis, quod
 casu in idem incidimus argumentũ: præsertim cum illic
 legent quædam odiosius, ac acerbius, *πραγικώτερον* abs-
 te dicta, q̄ uel res ipsa, uel nostra postulabat amicitia:
 nonnulla extra id quod institueras uelut ascita studio,
 quæ mox suis locis indicabimus. Atq; adeo iam nunc
 accipio nõnullos offendi, quod hoc loco nonnihil desy-
 derare se dicant, tuam illam synceritatem, ac simplicita-
 tem, toties à me quoq; prædicatam: quæ tuam eruditio-
 nem hæctenus unice commendauit: & ab inuidia, quæ
 semper

semper eximiã uirtutem solet impetere, magna ex parte uindicauit. Quibus hic uideris tui dissimilis: & (ut aiunt) in Fabro Fabrum requirūt. Etenim cum tot iam æditis uoluminibus semper hæctenus innoxius, & incruentus fuerit stilus tuus: admirãtur me tibi uisum idoneum, in quem primum calami tui mucronem stringeres, cuiusq; sanguine, ingenij tui telum huc usq; purum inquinares: præsertim à me non solū non lacessitus, sed toties etiam prædicatus. Quoniam autē hoc habet pura, Christianãq; charitas, quam Paulus ἀνυπόκριτον appellat: ut amicorum incommodis magis etiam commoueatur, q̄ suis: nolim ullam esse datã ansam, ut quisq; hominū de Fabro deterius sentiat. Quod si iuxta Pauli doctrinam semper abstinendum, non solum à malis, uerum etiam ab omni specie mali, quoad licet: id certe multo maxime præstandum est, in tractandis æcanis literis: quæ, quantū fieri potest, talibus animis tractandæ sunt, qualibus sunt pditæ: neq; cōuenit illic humanos affectus obstrepere, ubi diuinū est, ubi cæleste est; omne quod geritur: neq; congruum est in his libris parum modestos, & integros uideri, qui soli omnium uere modestos, ac probos reddunt. Id cum omnibus, tum nobis præcipue fuit animaduertendum hac ætate, in qua iam sit indecorū φιλοτιμῆσαι, aut νεανεύειν: tum hac fama, quam tibi iam olim tot æditæ lucubrationes tuo merito peperere: mihi nuper, & si tua minorē, meis ta-

men meritis longe maiorem mea qualiscūq; industria conciliauit. Vtriq; igitur uelimus, nolimus, uelut in proscenio consistimus, totius penè orbis oculis in nos coniectis: neq; clam nobis est, q̄ sint fastidiosa multitudinis iudicia: nō profecto minus, q̄ oculi spectatorū, quibus uix placēt etiā optima. Quo magis curandum, ut scenæ, theatrōq; seruiamus: neq; quicq; cōmittamus, quod uel ut indecorum exhibetur, uel ut iuuenile rideatur. Atq; haud scio, an optimū fuerit in hoc theatrum non descendere. Certe posteaq; deus aliquis huc nos protraxit: superest, ut pro uiribus nos fabulæ susceptæ attēperemus. At ipse, inquires, lacestisti, qui prior à me tot locis dissenseris. Si cōtumelia est dissentire: nihil deprecor, nec recuso, quantumuis iniquam talionem. Sin hoc in omni professionis genere: semper liberū fuit, in hisce duntaxat rebus, quæ ad religionis nostræ dogmata proprie non pertinent: nec mihi fraudi, uitiōue uerti par est. Et tamen hoc ipsum uide, quæso, q̄ nō fecerim affectate, imo q̄ inuitus, quàmq; honorifice. Quid em̄ mihi faciū dum fuisse censes, cum tu iam æditionem occupasses, & uiderem non pauca mutata abs te perperam: neq; me præteribat, quantum obtineres autoritatis apud patres, simul ac populum studiosorū. Res euidētia erat, q̄ ut excusari posset, & liber erat euulgatus. Quid facerem? Paterer lectorem impune labi? Sinerem errorem inolescere? Id, opinor, nec ipse dicturus eras.

eras, præsertim cum publica utilitas, cū nulla tui nomi-
 nis nota esset coniuncta. Quandoquidem in huiusmo-
 di labi, & hallucinari nōnunq̄, adeo humanum est, ut
 hæctenus nemini mortalium licuerit effugere, perpau-
 cis exceptis, quorum literas nō ut humanas excutimus,
 sed ut diuinas, ueneramur. Necq̄ tua rursus æditio ad
 hoc laboris capeffendum nos impulit, ut quisq̄ cauilla-
 ri possit, tui reprehensionem à nobis studio quæsitam.
 Quin iam opus absoluerā: iam cū typographis trans-
 egerā, priusq̄ tua prodissent in uulgus. Quæ simulatq̄
 prodierūt, sæpe mecum admiratus sum, quinam eue-
 rit, ut in tam crebris, tā prolixis, tamq̄ familiaribus col-
 loquijs, quibus Lutetiæ fueramus conflictati, ne casu
 quidem inciderit ulla mentio, quid uel meū, uel tuum
 studium parturiret, ac moliretur. Quod si in tempore
 sensissem, fortassis ipse destitissim ab instituto: & si
 quid forte nobis paratum fuisset, quod operi tuo con-
 duceret, impartissem amico. Non quod istud ingeniū,
 quoties in suo campo uersatur, meis egeat auxiliaribus
 opibus: sed quod tu cum in examinationibus illis, sic
 enim uocas, uersareris: nec in tua propria arena esses,
 nec in tuo foro, in quo ipse quamlibet cætera inferior,
 nectibi uideor aspernandus, ni fallor. Cæterum rebus
 in eum locum adductis, nō exegisses opinor, tantā tui
 nominis habendam esse rationē, ut in sacris libris plus
 apud me ualeret, amici studiū, q̄ ipsa ueritas: & publi-
 cam

cam utilitatem unius famæ posthabere, etiam si, ut diximus, id citra famæ tuæ dispendium fieret. Imo sic de tuo ingenio, deq; moribus tuis iudicabam, ut crederem Erasmus amicum uel hoc nomine fore amicissimum, si publicam utilitatem, cui tu tantum uigiliarum impenderas, nostra quoq; opella adiuuissim: præsertim cum sic uero succurrerem, ut ne tantulum quidem læderem amici existimationem: adeoq; non obscurarem illius gloriam, ut si qua fieri posset, lucis etiam aliquid adderem. Scis enim ipse, si tamē nostra legisti, q̄ amice abs te dissentiam: multa interim dissimulans, ac prætercurrens, quædam quoad licet excusans, ac leniens: nihil insectans, aut naso suspendens: nusq; immorans, aut uergens, etiam si nonnulla erant, tam manifesti lapsus, ut alius fortassis suæ gloriæ, q̄ Christianæ modestiæ tenacior conuictus fuerat exagitaturus, præsertim cū ista tanta cum autoritate præcipias. Nec his cōtentus, age, quoties Fabrum cum honoris præfatione nomino: Quoties meis fulciendis, tuam autoritatem reuerēter adduco: id uiuo tribuens, quod non omnibus defunctis tribuitur: cum à rogo liuor omnis emori soleat. Idē facio locis aliquot, ubi nihil opus erat tui nominis patrocinio: uelut in frontispicio epistolæ ad Colassenses: cum tot autoribus euicissim Colassenses in insula Rhodo non esse, tuam autoritatem adiungo. Rursus hoc ipso in loco, quo mecum tam affectate digladiaris, q̄ ego affectate

affectate

affectate tui nominis mentionem ingero. Atq; in hanc sanè partem malui uideri affectantior, quàm in alterã istam, quæ nescio quo cõsilio tibi magis placuit. Super hæc om̃ia, uide q̃ nihil fucate, nihil ex insidijs fecerim, aut molitus sim, q̃ simpliciter, purèq; om̃ia. Cum ad ornarem æditionem, atq; in ipso iam operis cursu: præmonui te literis, fore, ut in ædendis meis aliquot locis abs te dissentirem: sed amanter. Comprobabas institutum uel hoc argumento, quod in literis ad me tuis, quibus laborib⁹ nostris applaudebas, nulla fieret huiusce rei mētio. Rursus alteris, ac tertijs literis reddidi tibi facti mei rationem, admonens futurum: ut si qua ex his, quæ nos annotaueramus in tuis, proxima æditiõne mutare uelles: ego item in proxima mearum annotationũ æditione, loci castigati mentionem ommitterem. Quod sicubi nobis nõ accederes: excusationem tuam si recte dissentires, scripsi me libèter accepturum: & siquid ipse lapsus essem, admonitionem tuam beneficij loco habiturum. Atqui cum tam multi obtigerint, qui literas ad me tuas efflagitarint etiam: quorum de numero sunt, eximiũ illud religionis, ac nobilitatis decus, Stephanus Poncherius Episcopus Parisiensis: & ille literarum unicus antistes, Gulielmus Budæus: nunq̃ tamẽ uerbum ullum abs te factum, aut quid displiceret, aut quid probares. Ipse interim pro mea simplicitate tuum animũ ex meo æstimans: nihil aliud suspicari potui, q̃ ingenium

b nium

niū tuū grauiorib⁹ studijs intentū. Quin de hac quoq; proxima æditione mirū ubiq; silentiū, quæ iam sesqui-annum per omnes regiones uolitat, me uno omniū in scio: cuius maxime intererat scire, ut propemodū ride- re libuerit illud in me satyricum: Dedecus ille domus sciet ultimus. Ego securus omniū, & omnia tranquilla credens traducebar ignarus, & ceu caudam trahens ob- ambulabā, & hodie sic ornatus incederē: risuiq; essem impune, ni me mihi forte fortuna, Bibliopola quispiā amicus magis q̄ literatus indicasset. Ac prorsus tale quiddam mihi accidit, quale his, qui se proscriptos le- gunt, priusq; proscriptionem timuerunt. In bello forsi- tan laudī ducitur, hostem occupasse celeritate, oppres- sisse inopinantē, obrepisse improviso, ex insidijs ador- tum esse incautum, & ante prælium inferre, q̄ pugnae suspicionem præbueris. At longe alia militia, alia sacro- rum studiorū ratio. Quanc̄q; egregij duces, ne dignan- tur quidem dolis uti aduersus hostem, uiribus, nō arte gerentē bellum. Nec hoc dixerim, quod suspicer id arti- ficio tuo curatum: sed quod uerear, ne quis minus can- didus q̄ nos sumus, in hanc partem interpretetur. Ve- rum quando posterioris æditionis mentio nos admo- nuit: nonnihil demiror & illud, qui factum sit, ut cū no- stra æditio fuerit absoluta Basileæ in officina Frobenij, Anno ab orbe redempto, M.D.XVI. tua annū habeat, M.D.XV. Si prior est tua, aut si æqualis: quomodo meā
citāt

citat: Si posterior: quo cursu nostræ anteuertit, quæ pri-
 us à linea discesserat: Quod certe aut Typographorū
 errore factū sit oportet: qui cum crebro peccent, faciūt
 ut nostra quoq; commissa probabiliter in illos reijcia-
 mus: aut tui studiosus quispiam anteuertendum puta-
 uit, ne quid uidereris ex meis lucubrationibus in tuas
 sumpsisse mutuo. Atq; ita dum sedulo tuæ gloriæ con-
 sulit: aut non meminit, aut nō sensit, illic prioris æditio-
 nis nostræ factam abs te mentionem. Verum id quo-
 cunq; casu acciderit, mea quidem haud magni refert.
 Neq; enim sum adeo gloriæ uel inops, uel ieiunus, ut
 in huiusmodi uelim *μικρολογῆμ*. At ipse, inquis, stimu-
 los ad respondendum addidisti. Fateor, hortatus sum,
 siquid esset operæ precium, ut libere dissentires: sed ita
 dissentires, ut ego abs te dissenseram: ut ciuilitate, nō cri-
 minaliter tuā causam ageres, abesset nasus, abesset pro-
 cacitas. Quod etiam si ipse nō ubiq; præstitissem, cum
 non deesset uoluntas: tuum tamen erat præstare, quod
 nos uoluissimus: quippe uir tanto melior: ac non me-
 lior tantum, uerum etiam annis aliquot maior, etiam si
 ipse quinquagesimū iam excessi. Cæterum si par pari
 referendum duxisti, erat nimirū tuæ humanitatis, quā
 ego tuæ gloriæ nō minimam partem esse puto, meam
 ciuilitatem non æquare solum, sed etiam uincere: iuxta
 præceptū Hesiodi, *καὶ λώϊοι* remetiens: præsertim, cum
 ea res tibi foret in manu: ne quod apud eundem mox
 b 2 sequitur,

sequitur, possis prætexere *ἕλκε δὲ ὄνκοι*. In eruditione, aut eloquentia, quoniã id haud est in nobis situm, non est semper turpe uinci. At in humanitatis officijs, & superari turpe est, & superare pulcherrimũ: propterea qđ hic tantum quisq; præstat, quãtũ animo collibuerit: neq; plus requiritur facultatis, sed plus bonæ mentis. Ego sic admisceo Fabri mei mentionem, ut celebrandi nominis tui uideri possim affectasse occasionem: tam effusus in tui laudes, q̃ parcus in reprehendendo: ut facile liqueat, affectus esse mei, quod te prædico, necessitatis quod dissentio. Iam etiam siquid alicubi per humanam incuriam effluxit, quod nasum corrugare possit: si modo Christiana charitas nasum haberet, non solum ab omni cõuicio tempero, uerum etiã caui pro mea uirili, ne quid effutirem, quod in contemptus, aut maleuolentiæ suspicionẽ rapi possit. Quod si hoc ipsum te offendit, ullam esse tui nominis in meis libris mentionẽ: age ut primum licebit, prorsus abolebitur tui commemoratio. Si quemadmodum Alexander Magnus, nõ nisi Apellis penicillo pingi uoluit, nec nisi Lysippi manu fingi: ita tu non sustines à quouis scriptore nominari. Sed qui factum istud tuum benignissime uelit interpretari: causari fortasse poterit, tibi hãc ansam esse quaesitam, celebrandi nominis mei, quo uel hac parte mihi uicem officij reponeres. At siquid istiusmodi uenabaris: tot erãt loci, in quibus indicaui lapsum tuum: quos si mutasti

si mutasti (nondum enim contuli præter unum & alterum) gratitudinis erat hoc, quicquid est officij, non solum agnoscere, uerum etiam uerbis exaggerare: si non mutasti, cum sint omnino mutandi quidam: aut contemptus est non legere, quod ad te pertineat, aut pertinaciæ nolle corrigere, quod intelligas esse corrigendū. Si in his recipis admonitionē meam: cur nec agnoscis, nec mutas? Si non recipis: cur non refellis abs te dissentientem, & tua palam, ingenuēq; corrigentem? Si qua gratia debetur uel honorifice prædicati, uel amice, simpliciterq; monēti: bellum profecto mihi repositum est præmiū, egregium amicitiae nostrae monumētum proditum abs te est posteritati. Cur uno duntaxat in loco tibi succurrit Erasmus amicus, & pamicus? An hoc uno in loco tantum abs te dissentio? Cur sic urges, sic instas, sic immoraris, sic exquiris & excutis: ut non oblata, sed quæ sita uideri possit occasio? Imo & propius accedam ad rem: cur ibi fingis pugnam, ubi nulla mihi tecū pugna est? Imo ubi pro te facio, id quod mox aperiā. Ego ueros lapsus aut lenio, aut tego, Tu ubi in re tranquillitas est, tuis uerbis grauem excitas tempestatem. Neq; dubito, quin meam ciuilitatem hac quidem in parte satis tecum agnoscas. Cæteris autem malim eam parum probari: quam dum eam nimium diligenter approbare nitor, partem aliquā eius laudis amittere. Quando bona ciuilitatis pars est, non imputare ciuilitatem. Ac

deum omnium conscium testor: libēter & hoc dissimulaturus eram, nisi quædam inculcasses odiosiora, quàm ut mihi integrum esset dissimulare, quæ mox proferentur. Lenitatis, ac moderationis est, dissimulare cōuicia: sed usq; ad aras, ut aiunt. Impietas est, ad impietatis crimen esse mutum: Non quod tu palam intendas, sed tamen aspergis nonnulla, quæ sicunde interpretem iniquiorem nacta fuerint, efficiunt ut uidearis me non solum stupidum, & ἀγράμματον facere, uerū etiam impiū. Quorum ut prius illud leuiter fero, ita posterius haud arbitror dissimulandum. Accedit his & illud incommodi, quod hic nec ipse tuā causam agere possum. Etenim si candidius incipiam interpretari, quæ uidentur inclementius abs te scripta, non effugiam, quin uidear ipse mihi blandiri. Vide quo me deieceris angustia. Atqui hæc ita habere: mox, ut dixi, demonstrabimus. Ea res mi Faber, tametsi nonnihil molesta fuit, tamen non ita multum apud me ualuit, ut ueterem meā de te opinionem mutarim, qua semper te uirum literis, ac pietate cum primis insignē esse iudicauī: sed tamen admonuit hominem esse te, ne quid ipse dicam, aut suspicor inhumanus. Et haud scio, an quicquid istud est stomachi, tuorum affectibus dederis. Nam ut optimis nōnunq; principibus, ita mitissimis ingenijs hoc uitij solet adherere, quod se duci patiatur alieno instinctu. Neq; enim me clam est, quàm multos habeas impediō tui studiosos, nec

fos, nec secus addictos tibi, quàm si in tua uerba iura-
 rint, qui tua non secus atq; oracula uenerantur. Hi for-
 tasse nefas esse ducunt, usq; abs te dissentire: & protinus
 ad lapides prouocant, si quis uerbo refragetur. Atq; isto-
 rum sanè studio nò illibèter ignosco, quod à charitatis,
 ac beneuolentiæ radice proficiscitur. Cæterum aut omni-
 no nò noui te, aut uirum arbitror prudentiorè, ac pror-
 sus meliorè, qm̄ ut tuis còmentarijs tantum autoritatis de-
 ferri postules, quantum nec Augustinus postulat suis,
 nec Ambrosius, aut Hieronymus suis, præsertim cum
 ipse in hac tua defensione, præsidium humanæ autorita-
 tis omne submoueas, quoties de ueri inuestigatiõe agi-
 tur. Sed iam tēpus est, ut Apologiæ tuæ altera respon-
 deā Apologia, quæ mihi sic temperanda est, ut ita meā
 tuear existimationē, ne quid lædam amici uel famam,
 uel animū quoad fieri poterit. Et quanq; facilis erat de-
 fensio, ubi causæ nulla penè est còtrouersia: tamen hic
 nò paulum negocij mihi addidit tua disputatio, multis
 uerborū lacinijs undiq; diffluēs: siue quod hic tuus est
 mos, siue qd̄ ita tibi uisum fuit in hoc, ceu theatro speci-
 men ædere, quantum polleres eloquentiæ uiribus, & ora-
 tionis ubertate. Proinde cum nò mediocris sit negocij
 uel recensere, quæ sunt abs te disserta, quanto difficilius
 fuerit singula refellere. Usq; adeo omnia dilatas, & exag-
 geras, ac penè iuxta prouerbiū: Ex musca facis elephan-
 tum. Quis enim nò ipso statim in limine, expectet ma-
 gnificam

gnificam aliquã tragiccediam, ut audierit te in exordio
 tam religiose implorantem cœlestis auxilium numinis,
 ac rursus in calce disputationis tam accurate perorantē
 usq; ad, per om̃ia sœcula sœculorū. Deinde iuxta Rhe
 torum præcepta: credo, quod tibi uidereris agere cum
 homine rhetorico, proponis quid cōueniat cū aduersa
 rio, & quid in cōtrouersia relinquatur, ueluti cōmittens
 hinc atq; hinc instructas acies. Tum perinde, ac si apud
 Areopagitas de capite agatur, ita ad singulas capitis
 partes mea dicta subscribis: credas Demosthenem ad
 uersus Aeschynē proferre testimonia. Vt igit carptim
 respondeā, idq; paucis: nec ad omnia, sed ad ea potissi
 mū, quæ mihi parum æquus lector, tui uero studiosior,
 in meam calumniam torqueri possit, ne simul & mole
 stus sim lectori, & plus satis operæ mihi pereat in hoc
 negocio necessario quidem illo, sed inamceno. Sum
 mam causæ proponis hunc in modum. Verum hãc,
 inquis, sententiam nostram hoc in loco non acceptat
 amicus noster Erasmus: neque beati Hieronymi sexti
 uersus octauī psalmi: quem sic interpretatur: Minues
eum paulominus à deo, gloria, & decore coronabis eū:
approbat interpretationē. Obsecro te *νὴ τὴν ἀλήθειαν,*
 nonne hic protinus controuersiam fingis, ne dicam fa
 bricaris: ubi concordia est, & prælium inducis: ubi pax
 est, & defensionem paras: cum nemo uocet in ius, & nul
 lo actore temetipsum reum agis? Relege totum eum
 locum

*Psalmi octauī.
 uersu septī*

locum in annotationibus meis, excute, uestiga, num ul-
 lum usq̄ insit uerbū reiſcientis Hieronymi, tuamq̄ sen-
 tentiam: tantum recēseo duplicem lectionem: alteram
 Hieronymi, cui tu subscribis: alteram septuaginta: & ut
 quidā asserunt, Chaldæorū: quam & olim Græcorū, &
 nūc Romana sequit̄ ecclesia, magno orbis cōsensu: cui
 subscribunt tot orthodoxi nostræ religionis doctores,
 non minus eruditione, q̄ uitæ sanctimonia macti, spe-
 ctatiq̄. Equidem existimabam id licere, præsertim in
 annotationibus, diuersas diuersorum opiniones recen-
 sere: ac meam etiam, si uisum esset, opinionem interpo-
 nere: hac lege, ut nihilo secius liberum foret suum cuiq̄
 iudiciū, neq̄ cuiusq̄ sententiæ præiudicaretur. Cum
 enim uiderem eam esse libertatem cōmentariorum, ad
 quam sæpenuero prouocat Diuus Hieronymus, &
 hoc colore causam tuetur suā: arbitrabar multo magis
 idem ius mihi tribuendum in opere, quod præter hu-
 miles, ac penè grammaticas quasdam annotatiunculas
 nihil profiteretur: præsertim cum semel, imo nō semel,
 sed crebro tester me annotationes scribere nō dogma-
 ra. Hieronymus aliquoties & hæreticorū recenset opi-
 niones: nec reiſcit, nec indicat autores. Hic primū in ius
 trahatur, si non licet referre, quid senserint aliī. At hic
 duas recenseo sententias, quarum neutra sit hæretica,
 imo utraq̄ reprobata uiris orthodoxis, & recēseo neu-
 tram conuellens, aut labefactans, tantum indico, quis

Martij. q̄si ma/
 ff. autus.

videt̄
 onis sup
 iniqui
 in
 in

Quod sit
 Erasmi cō/
 filiū, in an-
 notationi/
 bus cōtro/
 uersis.

c scrupus

scrupus obstrepere uideatur, utramuis sequenti lectio-
 nem. Nimirū hic, quod CHRISTVS IESVS quātum
 ad humanam naturam, & uitæ in terris actæ speciem,
 non solum longe diminutus uideatur infra Deum, ue-
 rūtetiā infra angelos, & homines plerosq;. Deinde ten-
 to rationes aliquot, quibus ea difficultas possit explica-
 ri, nihil interim uel hic asseuerans: sed quod est cōmen-
 tantis, ac multo potius annotātis officium, lectori cogi-
 tandi materiam suppeditans. Proinde non solum neu-
 tram reiñcio sentētiam, quod tu ais, sed tuæ uideor etiā
 fauere, ut quam primo recitem loco, ac Hieronymia-
 na autoritate corroborem: indicans unde petere possit,
 si quis plenius super ea cupiat edoceri: cum alteram, cui
 tu non faues, nudam, & inermem producam. Imo peri-
 clitor, ne cui uidear hoc loco tui nominis mentionē affe-
 ctatius induxisse. Quorsum em̄ attinebat te huius sen-
 tentiæ autorem nominare, cū haud me præteriret ante
 tot annos sic ex Hebraica ueritate uertisse Hieronymū,
 & eundem sic in cōmentarijs suis annotasse: si tamen
 hos Hieronymo tribuis, quos tamē mirum est in com-
 mentarijs tuis abs te nō fuisse citatos, cum illic tantope-
 re cōtenderes docere, à deo legendum esse. Neq; enim
 opinor te tam indiligentem, ut scribens in psalmos, nō
 curaris inspicere, quid tantus autor dixisset. Hæc cum
 ita habeant mi Faber, neq; enim potest negari: uide te
 quæso, q̄ non ciuilitè proponas, non contentus assu-
 mere.

Q̄ obli-
 que hic no-
 tat supini-
 tatē lectio-
 nis.

mere, quod tuam reiecerim sententiam: sed quo res esset
 dictu odiosior, addis etiam Hieronymianam interpre-
 tationem à me non approbari, cui tamē faueo. Nec id
 satis erat. Subijcis qd' his quoq; est odiosius. Scripta,
 inquis, eius in annotationibus huius loci interdum sub-
 iñciemus, quo facilius legentes & eius mentem, & meæ
 assertionis, & Hieronymianæ interpretationis, Imo pro-
 pheticæ intelligentiæ defensionem intelligant. Vide
 licet hæc eo tendunt, ut non solū omneis tui studiosos,
 hoc est omneis, ut ita dixerim, Fabristas in me concites,
 uerū etiam omneis, quibus Hieronymi sacrosancta est
 autoritas: Imo Christianos uniuersos, qui propheticæ
 intelligentiæ defensori fauent aduersus hostem. Si tu
 Hieronymianæ interpretationis, & propheticæ intelli-
 gentiæ defensor es, necessum est, ut sit qui oppugnet.
 Hunc igitur hoc loco me facis, cū nihil sim minus. Atq;
 hoc quidem tuæ disputationis uestibulum, in quo pu-
 to te uidere, q̄ parum amicabiliter agas cū amico: tuis
 enim uerbis utor. Aduersarium facis, qui tuæ sententiæ
 patrocinator. Nā finge, quod tu uis, nihil aliud legi pos-
 se, nisi, Minorasti eum paulo minus à deo: an paulū de-
 scendit, qui deus descendit ad hominem? cum humana
 natura infinitis partibus inferior sit diuina: eamq; diffi-
 cultatem, cum tu parum pudenter dissimules: ego citra
 tui notā amolior, quod tuæ interpretationi uidebatur
 obstare. Et cum id faciam, aduersariū me fingis, & pro-
 pheticæ

Pro Fabro
 difficulta-
 tē quandā
 soluit.

pheticæ intelligentiæ impugnatore. Sic lectore de summa causæ edocto, singulas annotationis parteis uellias, ac uexas: quasi singulos dedissem aphorismos, cū quædam obiter, ac uelut è superfluo admisceam: quædam assumam argumentantis iure, non autoritate definientis. Insidiosum uidelicet, & callidum oppugnationis genus: præsertim apud eos, quibus res parū est cognita. Quod si quæadmodum in iudicijs causa cadere solet, qui litem perperā intendit: itidem fieret in disputationibus, iam hæc causa mihi perorata erat. Nunc pergamus ostendere, quæ cætera huic amicæ propositioni respondeant. Ingenue fateris admonuisse te apud Hebræos haberi scriptum: Minuisti eum paulominus à deo. Quid audio? fateris, perinde quasi hoc tibi crimen intēderim? Imo si prim⁹ hoc admonuisses, gloriari poterās, & ipse laudē hanc lubēs tibi tribuisses? Quancūquid erat ingenuitatis fateri, quod libris æditis uulgatum, inficiari nullo modo poterās? Mox uelut alterum accusationis caput proponens fateris esse in Hieronymianis cōmentarijs, quod illinc citaram, nisi quod ille idem dixit apertius. Nam id etiam obiter admonēdus erat lector. Atq; hic sanè non solū ingenuus uideri uis, qui fatearis, quod palam extat in æditis uoluminibus, uerum etiam ciuilis, & amicus: sic enim scribis: Et id tribuimus amico, & sic habet ueritas. Quid est hic, quod largiris amicitia nostræ? Si cū hoste fidei ageres, quid aliud

aliud poteras, q̄p̄ fateri uerum esse, quod negari nec debet, nec potest. Iam ceu tertium accusationis caput facis: quod scripserim te in hac parte à Thoma dissentientem, multis argumentis cōtendisse, à deo legendū esse, nō ab angelis: idēq̄ diuidis, partim agnoscens factum, sed ut recte factum defendens, partim factū inficians.

Et probe, inquis, mea sentētia. At quis intēdit hoc perperam à te factum? Nec hic erat inficiandū quicq̄p̄, nec erat quod inficiari posses: nimirum libris euulgatis protinus tibi reclamaturis. Aio te multis argumentis contendere: non malis argumentis, nec sententiā tuam refellens: nec argumenta tua uellicans, tantum lectori cōmonstro, unde posset petere, si desyderaret argumenta, simul ipse prolixam recitationem parum congruam annotatori declino. In altera parte defendenda, more Rhetorū duplici uteris statu. Primū negans te à Thoma dissensisse. Deinde ut id dones, contendis licere. Primū, an nō dissentit, qui diuersum sentit, nisi norit quid ille sentiat, à cuius opinione dissentit? An ideo nō sum dissimilis Petro, quia nesciam qua ille sit forma? An nobis non dissentit alicubi Plato à M. Tullio, cum ille nescierit, quid hic sensurus esset? Certe nobis à Thoma dissentis, quoties diuersum ab illo sentis, q̄ utriusq̄ opinionem cum altera pugnātem cernimus. Nec hic attinebat anxie defendere, quod à Thoma dissenseris, nisi quod credo factum, quo gratiā inires apud huius

sodales, & apud eosdem me uocares in inuidiam. Ego nemini unquam uitio uerti, quod à quoquam dissenserit, quantumlibet magni nominis autore: modo id faciat reuerenter erga eos, quibus hoc honoris debetur. In quibus Thomas. ego sanè & Thomam numero, primū eruditionis, deinde etiā sanctimonix nomine. Sed negas te tum consuluisse, quid ille sentiret, magis autem, quid diceret eloquia: sic enim loqueris. Atqui opera precium erat cum scriberes cōmentarios in Paulum, excutere quid ille sensisset, haudquaquam, ut opinor, aspernandus autor. A quo quamquam & ipse locis aliquot dissentiam, tamen id facio aliquanto ciuilius, ac reuerentius, quam tu recenseres. Neque Erasmus, inquit ipse, ut qui toties eum coarguat. Miror non dixisse te, qui toties eum explodat, atque exhibet, quo fiat etiam atrocius. Neque consentaneū est Thomam non consuluisse, quid dicerent sacre literæ, cū illa scriptis proderet. Neque rursus id odiose, aut suspiciose dictum est à me, quod à Thoma dissentires: alioqui si quid tale uoluisssem, addidisssem potius ab Augustino dissentire te: nec dubito, quin ab Hilario, ni pars ea cōmentariorum intercidisset: Dixisssem à Chrysostomo: dixisssem à Vulgario: dixisssem ab omnibus orthodoxis, uno excepto Hieronymo: eoque incerto, dixisssem à publica totius ecclesie cōsuetudine, tot iam sæculorum usu comprobata, si te inuidia uoluisssem onerare. Nihil horum. Simpliciter ostendi, quæadmodum tua sententia con-

tia cōsentiret cum Hieronymiana, ita eandē cum Tho-
 mæ opinione dissentire. Cæterum Thomæ sententiā,
 Chrysoſtomi, Vulgarijq; interpretationi congruere,
 præterq; quod illi simpliciter ad humanā naturam re-
 ferre uidentur, hic ad corpus assumptum duntaxat ar-
 bitratur pertinere: lectori cōmonſtrans neutri sententiæ
 suos deesse autores. Hic uero Thomæ causam sic agis:
 ut nō putes absolendum, nisi persuaseris illum simpli-
 citer errasse, & credidisse sic haberi apud Hebræos. At
 mihi uidetur, Thomas nec tam supinus & oscitans: ut
 cum æderet cōmentarios in hunc locum, nec Hierony-
 mianam interpretationem consuluerit, nec eiusdem in
 hunc psalmum cōmentationem excusserit. Imo uero
 propius est, illum hac in parte plus tribuisse publicæ ec-
 clesiarum omniū consuetudini, & orthodoxorum auto-
 rum tanto cōsensui, q̄ unius Hieronymi ex ignota, bar-
 baraq; lingua annotamento. Præsertim cum is paucis
 uerbis sic indicauerit, quid haberetur apud Hebræos,
 ut alteram tamen lectionem nec reiiceret, nec insectare
 tur: id quod tu gnauiter facis: atq; utinam Hieronymi
 magis placuisset exemplum. Etenim si Hieronymianā
 modestiam hic imitari uoluisses, rectius tuæ famæ mi-
 Faber consuluisses, nec hanc amico suscitasses tragœ-
 diam. Quod si Thomas diuinum illud & è cælo dela-
 psum octaplum opus uidisset, forsitan ausus fuisset pu-
 blicam lectionē immutare. Tanto em̄ apparatu mihi

Censura
 firma de
 octuplo

citas

Psalterio
Augustini
Iustiniani.

citatis scriptorem, ut ne quid aliud dicam, recentem, ac si proferres oraculum è tripode redditum. Ego ut hominis istius studiū insectari nolim, ita nolim rursus illius autoritate admodum grauari. Etenim quod attinet ad operis utilitatem, iam æditum erat Basileæ psalterium tribus linguis: id quæ satis, opinor, feliciter, & emendate. Nec est unde præsidium petamus, nisi ab his linguis, si quid nos in psalmis torqueat. Nam ut fonteis nemo potest contemnere, ita septuaginta interpretum, omnibus semper fuit grauissima autoritas: nec, quod Hieronymus latine uertit ex Hebraica ueritate, reijcit ecclesia, etiam si publicitus non utitur. Quid autem refert, si posthac psalteriū in sexcentas linguas transfusum nobis proponas? Etenim quod ad autoritatem attinet, haud ita multum interest, Sueuicum an Hybernicū, aut Gothicum psalteriū mihi proferas, an Arabicum, Armeniacumue. Et cum res plurimū habeat fumi, plurimumque ostentationis: uix ullum hic fructum uideo, nisi forte, ut hoc uolumine discamus tot linguas, prædicaturi CHRISTVM apud eas nationes. Nam si studeamus ut hac ratione inter barbaros spargatur, euulgeturque Christiana religio: propius ad rem faciebat, euangelicam historiam, & apostolicas epistolas totidem linguis producere, quæ psalterium. Iam de annotationibus quas ex Caballisticis, & Talmudicis, & Rabbiniis Iudæorum adducit. Primū paucas: deinde plerasque etiā frigiditas

frigidas, in praesentia non disputabo pluribus: hoc tantum fatebor, mihi quicquid usque adhuc hauriri uideo ex apocryphis Hebraeorum libris, maxima ex parte aut suspectum haberi, aut uideri frigidum, nec magnopere facere ad nostrum CHRISTVM. Porro quod ad eruditionem hominis pertinet. Primum quae graece, latinaeque calluerit, ex ipsius praefationibus facile deprehendet, quisquis utraque linguam perdidicerit. Iam qualis sit in caeteris, alijs coniectandum relinquo. Quorsum igitur attinebat, ut illius praefationem tot linguis legeremus: uelut hoc argumento protinus credituri, illum has calere linguas? At hoc opus non probant modo, uerum etiam suspiciunt, ac mirantur duo praedicatorij sodalitiij fratres. Non adducam huc illud est triuio, mutuum muli. Ista comprobatio plus habebit ponderis apud eruditos, si comprobatum sit istos, qui opus hoc comprobauerunt, intellexisse quod probant. Neque enim arbitror hanc tyrannidem in literariam etiam politiam esse recipiendam: ut hic, aut ille librum suo arbitrato nunc creta, nunc carbone notet, etiam si nihil intelligat. Nam quid aliud est autoritas sine iudicio, quae tyrannis? Et tamen hic, ut Augustini tui studium non improbo, quod fauorem promereatur, quisquis quocumque modo conetur illustrare sacras literas: ita tuum candorem mi Faber amo, proboque: sed miror, cur hunc uni Erasmo non praestiteris, praesertim toties amico, tum huc puocatus. Sed haec
d pluribus

*Triuium triplex uia
dicitur*

Cum iudicio libri probandi.

De malis
pœnæ, nō
culpæ agit

pluribus fortasse, quæ fat est. Illud haud dum scio, nunquid ad me pertineat, quod ais falsum tibi uideri, angelos nullis malis attingi posse, cum & peccato fuerint obnoxij, & pœnam horreât. Quasi uero CHRISTVM cū impijs angelis conferam: aut cum malum dico, de peccatis, aut pœnis sentiam admissorū. De his malis illic ago, quibus humana natura est obnoxia: & mihi satis est, quod angelus mori nō potest, sitire non potest, crucifigi non potest. Neq; uero, ut dixi, cum malis angelis CHRISTVM arbitror conferendū: sed cum his potius, quorum felicitas iam in tuto est: de quibus & absolute dictum uerum est, nullis malis attingi posse. Atq; hactenus quidem non admodum cruenta fuit uelitatio, dum nunc impetis, nōnunquā concedis, ac parcis aduersario. At in his quæ sequuntur, nihil inter nos cōuenit: peritrepunt classica, crudescit pugna, omni machinarū genere premor, & urgeor miser. Quo me uertam? quē deū aut hominū implorem imbecillis, inermis, & huius militiæ rudis miles, cū tantus, ac tam exercitatus bellator cominus urgeat? Iam non de asini, quod dici solet, umbra certamen est: de capite agitur, ferro petuntur uitalia: atq; ut aptius dicam, mihi sanè *πρὸς τὸν θεόν καὶ τοὺς ἀγγέλους* *μοῦ.* Ut piaculū admissum insectaris, quod scripserim. Verū siue legas à deo, siue ab angelis, idem manet scrupus. Quis, inquis, relinquitur scrupus, si cōstat legendum esse à deo? Si istud usq; adeo cōstat doctissime
Faber.

Faber: & si altera lectio falsa, impia, hæretica, & diuinæ scripturæ aduersa: quin hoc psuades orbi Christiano? Quin synodum imploras, ut tantus error ex omnibus ecclesiæ codicibus aboleatur? Quin Ambrosij, Hilarij, Augustini, Chrysostomi, Vulgarij: & ne persequare omnes, uniuersorum orthodoxorū, uno excepto Hieronymo, uicem deploras: qui per omnem ætatem sic legerrint, sic scripserint, sic docuerint? CHRISTVS, ut ais, nec paulum, nec multum fuit imminutus ab angelis: & tamen hæc uox in omnibus Christiani orbis ecclesijs auditur: hæc in scholis, hæc in sacris concionibus publicitus prædicatur. O rem horrédam, si tam certo uerum est, quæ tu firmiter asseueras, CHRISTVM nec paulum, nec multum ab angelis fuisse diminutū. Atqui si tuam aspernatus sententiam, huic adhæsisses: tamen haud merebar obiurgari, si septuaginta interpretum auctoritatem, quæ Hilario, Ambrosio, Augustino, ac penè doctoribus omnibus olim sacrosancta fuit, quæ ipsi etiam Apostoli non dedignantur aliquoties sequi: & si quid huic addit momenti æditio Chaldaica: si utriusq; orbis Græcanici & Romani publicum in hac re consensum: si consuetudinem, tot sæculorum auctoritate comprobata, unius Hieronymi annotationi anteponerem: pudens, non impius uideri poteram, si minus ausus fuisset à totius orbis populo pariter, ac senatu dissentire, unius Hieronymi secutus suffragium, licet aliàs grauissimum.

Minuisti
eum paulo
minus ab
angelis, to-
tus orbis
legit.

simum. Certe non fugit ecclesiasticos proceres, quid ueriter, aut admonuerit Diuus Hieronymus, & tamē tot iam aetatibus diuersam sequuntur lectionem: idēq; tum publicitus, tum magno cōsensu. Nam quod hunc enarrans psalmum, seu classico hortaris ad eluendas ē codicibus mendas: quid sibi uelit, non satis intelligo. Neq; enim id sentis, opinor, lectionem hanc errore librarioꝝ rum inductam fuisse: ut mendū appellari debeat, quicquid habent Hebræi: certe ab angelis tradiderunt nobis septuaginta: Idēq; hactenus cōstanter sequitur ecclesia: haudquaēq; opinor, factura, ni iudicasset neutram lectionem cum impietate cōiunctam esse, quod tu magnopere, & sine fine cōtendis: nisi forte impiū non est, palam, ac serio mentiri de CHRISTO: eaq; publice in diuino cultu, ac templis canere, quæ propheticæ intelligentiæ, quæ diuinis literis (quæ tibi, nescio cur, ubiq; peculiari uocabulo dicantur eloquia) ἐν διαμέτρῳ repugnant. Si tā constaret, q̄ tu constanter asseueras apud Hebræos nihil aliud accipi posse, quàm deum: tamen siquid nouisset spiritus sanctus, siue per interpretes septuaginta, ut plerisq; uisum est, siue per ecclesiam: quicquid id erat, non arbitror cuiq; Christiano cōtumeliose reiiciendum. Quod nec ipse Hieronymus ausus est facere, duobus tantū uerbis indicans, quid legerent Hebræi, non damnans, quod uertissent septuaginta. At constat, inquis, quod Paulus sic adduxerit. Primum apud

Septuaginta etiā dissentientes ab hebræo non reiiciendi.

apud me certe nō constat, hanc epistolam à Paulo scri-
 ptam Hebraice, etiam si pleriq; id opinentur. Deinde
 si nusq; Paulus sequitur æditionem septuaginta: dona-
 bo fortassis, non uideri probabile hic uoluisse sequi.
 Quod si compertum est, ut est, eum alijs locis frequen-
 ter uti ea: prodigiosum non sit, si idem hic fecisset: præ-
 fertim cum in actis Apostolorum, cum Hebræis agens
 Esaiæ locum, nō iuxta Hebraicam ueritatem, sed iuxta
 septuaginta æditionem adduceret: Vade ad populum
 istum, & dic ad eos, Aure audietis, & nō intelligetis &c.
 Sed hoc mox propius, & suo loco diligentius excutie-
 mus. Interim quod instituerā, persequare. Nihil uideo
 causæ Faber eruditissime, cur mihi impingendum pu-
 taris, quod utranq; lectionem recenseo, neutra reiecta.
 Nihil enim aliud hic de nobis queri potes. Et fauebā,
 & faueo tuæ, Hieronymicq; sententiæ: sed mihi tum nō
 est uisum, sic alterā recipere, ut alteram uelut impiam,
 & hæreticam repudiarem, quæ talis non est uisa sacro
 sanctis ecclesiæ doctorib; & in primis Augustino, qui
 hunc locum non ueretur ad hunc interpretari modum.
 Nam ipsius uerba subscribam, si forte requiris. Quan-
 do quidem & angeli sunt opera manuum dei: etiam su-
 per angelos cōstitutum accipimus unigenitum filium,
 quem minutum paulominus ab angelis per humilita-
 tem carnalis generationis, atq; passionis audiuius, &
 credimus. Ut sileam interim, quod mea adducens, pro
 d 3 eo, quod

Sanctus Au-
 gustinus,

eo, quod modestius scripseram, uideatur idem manere
 scrupus: tu recitas, idem manet scrupus: quasi nihil in-
 ter sit inter dubitantem, inquirentemq; & asseueran-
 tem, inter uestigatorem, & dogmastiten. Ego dele-
 ctum lectionis suo cuiusque iudicio relinquens, aperio
 difficultatem, quæ uidebatur obstare intelligentiæ.
 Nam cum utiq; uerū sit, quod legimus CHRISTVM
 diminutum, aut secundum diuinam naturam imminu-
 tus intelligatur oportet, aut secundum humanā. Si se-
 cundum diuinam: nō fuit ullo pacto inde diminutus,
 in quo semper fuit æqualis. Si iuxta humanam assump-
 ptam: opinor non mediocri interuallum esse inter an-
 gelicam felicitatem, & humanæ uitæ calamitatē. Neq;
 enim arbitror ob id tantū dici deiectum, quod huma-
 nam naturā assumpserit, sed quod omnia fermē huius
 uitæ incommoda: qua de re mox aliquanto copiosius
 differemus. Quamq; sunt hic & alia abs te dicta, ut mi-
 hi uideatur, parum attente: quæ tamen nō sit operæpre-
 cium diligentius refellere. Velut illud, quod sic mecum
 agis, quasi ego senserim scrupū in hoc esse situm, à deo
 legendum sit, an ab angelis. Cum palam explicē in hoc
 esse scrupum, quomodo filius dei dici possit paululum
 imminutus à deo, cum humanæ naturæ, cuius assump-
 ptione diminutus dicitur, ad diuinam assumentem nul-
 la sit proportio: aut quomodo paululū imminutus ab
 angelis, cum non mediocri sit interuallum inter ange-
 los immor

*dogmatistes diuini
 qui hinc dogma sequuntur*

*In quo Era-
 smus esse
 scrupū di-
 xerit,*

los immortales, & carnem morti obnoxiam: iuxta quã
CHRISTVS dicitur exinanisse se. Deinde quod addu-
cis: Quis enim in nubibus æquabitur domino: aut quis
erit similis deo in filiis dei: non hoc docet, quod tu pa-
rum dialectice colligis, angelos esse multo inferiores
deo. Neq; enim quisquis æqualis, aut similis negatur,
is protinus est multo inferior. Quãdoquidem fieri po-
test, ut primo proximus sit, qui tamen aliquanto sit im-
par: ueluti qui triginta natus sit annos, non est quidem
æqualis annos nato trigintaunum, nec tamẽ multo est
minor. Vnde liquet & illud, q̃ absurde colligas. Dilu-
cidũ igitur est, non idem esse, siue legatur, paulominus
à deo, aut ab angelis. Nam huiusmodi flosculis omnis
tuus scater sermo. Neq; enim simpliciter dictum est
mihi, nihil interesse, utro modo legatur: sed nihil inter-
esse, quod attinet ad paululum, siue paulominus. Quæ
sententia si minus tibi probabatur, erat solidioribus ar-
gumentis refellenda, priusq; tanta cum autoritate ad-
uersum nos ferres sententiam. Quanq; huiusmodi per-
multa mihi dissimulanda sunt: ne cui uel molestus sim
loquacitate, uel argutior uidear, q̃ candidior. Verum
hic obiter me flagellas, fortassis non omnino sine cau-
sa: sed tamen paulo superciliosius, mi Iacobe, siquidem
scriptis respõdet animus. Refutas enim, ac reijcis uelut
impium quod dixerim, aliquid intelligi posse de homi-
ne assumpto: quod quæ in CHRISTVM deum, & ho-
minem

Prosecutio
disputatio-
tionis Fa-
brina.

Modestia
Erasmi.

Cōmuni/
catio idio/
matum.

minem competunt, nō oporteat de altera natura enun-
ciari. Quo quidē in loco multa repetis de summa uni-
tate hypostaseos IESV CHRISTI. Adduci non pos-
sum, ut credam te usq; adeo male sentire de Erasmo: ut
me putes adeo stupidum, aut indoctum, ut nunq; le-
gerim apud Theologos IESVM CHRISTVM unam
esse personam: eundem deum, & hominem: & quanq;
quædam in illum competant ratione diuinæ naturæ,
quædam humanæ: tamē utrocūq; nomine de illo præ-
dicari, propter hypostaseos unitatē, si ita permittis me
loqui, adeo ut recte & deus dicatur fleuisse, doluisse, ac
mortuus esse: & dominus gloriæ crucifixus. Rursus ho-
mo dicatur æqualis deo patri. Hæc si me nō docuissent
sacri doctores, Hieronymus, Hilarius, Ambrosius, Au-
gustinus, certe ex tertio libro theologicarum sententia-
rum, quibus nihil est uulgatius, didicisse poteram: nisi
forte credis & has mihi nunq; lectas. Itaq; uehemēter
ineruditū me iudicas, si credis hoc me latuisse, quod ne-
minē fugit, qui uel primoribus labris prima theologiæ
rudimenta attigerit. Rursum uehemēter impium: si cū
id sciam, existimes me uelle dirimere personæ, siue hy-
postasis, quæ est CHRISTVS IESVS, unitatē. Quod
si neutrum horum arbitraris: quid est quod tam proli-
xa agis disputatione, & uerbis penè tragicis insectaris?
Refutamus, inquis, & rursum aliquanto post. Si igitur
in illo psalmorum loco filium hominis, & id quod
ipsum

ipsum refert, intelligeremus de homine assumpto, & non de hypostasi, contra consuetudinem diuinarum scripturarum: & intelligentiam spiritus irrationabiliter faceremus, quod nequaquam est admittendum. Non dubito, quin tibi recognoscenti minus placeant ista, quam ea scribenti pridem, calor quidam, & feruor animi commendabat. Nam more hominum fit: ut quae commentanti ueniunt in mentem, nobis uelut partus ingenij nostri impendio blandiantur: neque enim eiusdem est gignere, & iudicare. Primum non uersabar illic in hoc, ut traderem rationes enunciandi. Et quantum scio de rebus diuinis circumspecte, & religiose loquendum: tamen anxie, ac putide non puto oportere, praesertim apud te, quae captiones istiusmodi uerborum, sophisticasque λογιστικας soles negligere: certe quid sentirem, satis intelligebas ex istis, quae praecesserant, cum aio: Thomas refert hunc locum ad humanitatem CHRISTI, qui minor angelis factus sit, non iuxta animam, sed iuxta corpus assumptum. At, quod hic dixi referri ad humanitatem CHRISTI, paulo post commutatis uerbis, dico intelligi de homine assumpto. Quid enim aliud est assumptus homo in CHRISTO, nisi humanitas CHRISTI: ut interim explicandae rei gratia, humanitatis uocabulo abutamur. Quid aliud est intelligere locum psalmi de ea, quam intellectu quod dictum est ad eam referre? Quod si nullo modo permittis nobis sic loqui: cur non & prior ille locus aures tuas offendebat, quo sic

e loquor,

Rationes
enunciandi
recentiorum
non imitant
superstitio
sius, adeo
contenti re
ipsam ex
plicasse.

Participiū
assumptū
satis arguit
hoiē nō
posse hic
accipi pro
supposito.

Prædicata
quædam
Christo cō
ueniunt se
cundū na/
turam hu/
manam.

Christus
assumpsit
hominem,
defendit.

loquor, referri ad humanitatē CHRISTI? Nihilō ma/
gis enim dici conuenit, humanitatem à deo diminutā,
q̄ hominem assumptum à deo diminutū. Neq̄ enim
cum alterutri naturæ quippiam tribuimus: ita tribui/
mus, quasi sit sola in CHRISTO, sed quasi cum altera
ὑΠΟΣΑΤΙΚῶΣ coniuncta, uel unita potius, ut & sic interim
loquamur: sed tamen eidem CHRISTO uaria tribuen/
tes, aliō atq̄ aliō respicimus: haudquaq̄ plures ex uno
dissecto facientes, sed pro diuersitate rerum nō eodem
referentes, quod tribuimus. Veluti Nepotianus in eo/
dem Heliodoro diligebat auūculum, uenerabatur epī/
scopum, imitabatur monachum: non ex uno plures fa/
ciens, sed in uno diuersa consyderans. Quid autem ue/
tat quippiam enunciare de altera natura, quod idem
simpliciter in CHRISTVM cōpetat? Age si dicam: Hu/
manitas CHRISTI nos docuit humana contemnere:
Diuinitas euehet ad æterna: Rursum ab homine disca/
mus modestiam, ac tolerantiam: à deo speremus immor/
talitatem: quæso num cuiusq̄ offendentur aures? Imo
quid uetat etiā, si singulis quæ in CHRISTO sunt, sub/
stantijs (nā hoc uerbo usus est hic Augustinus) tribua/
mus, quod idem in CHRISTVM competat? Caro
CHRISTI plagis afflictā est, pro cōmissis nostris. Ani/
ma CHRISTI doluit, p nostris malis. Diuinitas CHRI/
STI uicit mortem. Nec minus, opinor, pie dixerim his
modis: & fortassis efficacius, q̄ si dicam, CHRISTVS
secundū

secundum carnem afflictus est, CHRISTVS secundum animam doluit, CHRISTVS secundum diuinitatē uicit mortem. Nec enim offensurus sit, opinor, te, qui hominem assumptū dixerit, pro humanitate, siue humana natura assumpta: quandoquidem hanc sermonis formam, & publicus latinorum usus approbat, nec ueretur uti solēniter ecclesia, nec refugiunt sacri doctores. Nam qui minus dicamus, assumpsit hominem, quam exiit hominē? Pro his, cœpit esse homo: & desijt esse homo. Fateor non apposite dici, CHRISTVS est humanitas, cum recte dicatur homo: quod humanitas naturæ sit uocabulum, homo suppositi: quando hoc uerbi recentioribus Theologis arridet, ueteribus inaudita uox. Tibi ut uideatur impense, placet hypostaseos uocabulum olim Hieronymo suspectum: odio, opinor, Arianorum, à quibus ea uox profecta uidebatur. Cæterum hominis nomē utroq; modo usurpatum reperies apud autores probatissimos, frequenter ita loquentes: CHRISTVS iuxta hominem filius uirginis: iuxta hominem mortalis, iuxta hominem assumptum: pro eo quod est, iuxta humanam naturam. Et chorus ecclesiasticus canit: Tu ad liberandum suscepturus hominem. Hoc quoque durius est, quod dixit Augustinus libro de Trinitate secundo, capi. sexto: Sicut assumptus est filius hominis, pro eo quod est, sicut assumpta est natura humana. Si filius hominis, CHRISTI nomen est:

est: certe Augustinus pro una natura posuit, non pro hypostasi, quod tu putas esse sacrilegium. Quanquam totum hoc, quod hactenus disputatum est, non pertinet proprie ad sensum meum: neque enim tam illic hominem assumptum dixi naturam humanam in CHRISTO, quam ipsam naturam humanam assumptionem. Opinor & hanc sermonis formam agnoscere ab omnibus, qui latine sciunt. Conferam exemplum, quo quod loquor fiat apertius. Siquis laudet quempiam, quod prudentissime se gesserit, & alter quispiam non satis intelligenti interpretetur, ac dicat, De bello uitato sentitis non dicit bellum uitatum esse prudens, sed in hoc sitam esse prudentiam laudem quam illi tribuebat, quod bellum uitarit. Rursum cum dicimus, Exprobrat epotum doliū: non ipsum dolum opprobrat, sed doli epotationem. Et cruciat hunc amissus liber, pro eo quod est, excruciat hunc amissio libri. Ita cum hic Propheta dicat, CHRISTVM à deo fuisse diminutum, ostendo eam diminutionem nihil aliud fuisse, quam assumptionem humanam naturam. Arbitror iam satis demonstratum: nec in uerbis meis esse, quod pias aures ullo pacto debeat offendere. Et tamen siquid etiam fuisset simplicius, aut parum circumspecte dictum: cum ut eleganter ab Hilario dictum est, sensus non sermonis fiat crimen: non erat hoc tui candoris tot uerbis, imo conuictis insectari, praesertim in annotationibus. Alioqui quam multa, quaeso, reperiemus in Ambrosij, Hieronymi, Augustini,

Sensus ueritas, non proprietas affectata sermonis spectanda.

gustini, Gregorij libris, quæ liceret ad istam rationem calumniari. Olim crassius forte loquebatur, Theologi nunc quidam fortasse loquuntur subtilius: at uiuunt, ac sapiunt crassius. Nisi forte deum morosum quempiam, & captiosum facimus, & hominũ quorũdam similem, cum quibus nemo lubens habeat cõmercium: de quo difficillimum sit uerba facere, ut non offendas, ut nõ capiaris. Inter uere pios, facile de uerbis oportet conuenire, quoties de re controuersia non est: præsertim cum & frequenter excuset Diuus Hilarius, quod rerum huiusmodi sublimitatem, nullus hominũ sermo satis explicet: nec de ijs ueteres eodem balbutiant modo. Imo ne nunc quidem satis inter Theologos conueniat. Augustinus in cõmentarijs suis dominicum hominem appellat CHRISTVM. Atq; eum sermonem post corrigit ac uitat. Si hoc tanto accidit uiro: docendus eram, non obiurgandus, si mihi simile quippiam usuuenisset, præsertim aliud agentis: maxime si tibi liquebat, quid sentirem. Neq; enim ego de CHRISTI hypostasi aliud sentio, atq; tu. Atq; hæc excusarem, si quid etiam excidisset, quod uere reprehendi posset. Verum ut ad alia pergamus. Negas inter nos uersari quæstionem, utrum forma serui in CHRISTO, siue homo assumptus, parum, uel multum sit imminutus à deo, sed an filius hominis imminutus sit à deo: & id etiam quippiam parum. Inter nos sanè nulla quæstio uersabatur: nec ego hominẽ

e 3 assum-

assumptū dixi imminutum à deo. Tuus iste sermo est, non meus: id quod modo satis declaratum est. Nam si imminutū sic accipias, ut sit participiū: diuinitas potius uideri possit imminuta, quæ descēdit ad hominem, & humana natura, quæ euecta est ad consortiū diuinitatis. Sin ita ut sit nomen, & perinde ualeat ac si dicas, inferior deo: nō negabis, opinor, humanam naturam in CHRISTO longe inferiorē fuisse diuina natura. Quod si donas, consequetur CHRISTVM, quatenus erat homo, longe inferiorē fuisse deo patre: & ut Augustinus audet loqui, etiā seipso quatenus erat deus. Quod si multo fuit inferior, uidebat excutiēdū, quomodo Prophete dicatur imminutus paululū. Rursus si mihi dabis humanam naturā, quatenus est doloribus, & morti obnoxia, longe esse infra dignitatem, ac felicitatē angelicam: cōsequetur CHRISTVM, quatenus erat homo mortalis, & naturæ incōmodis obnoxius, aliqua ex parte fuisse inferiorē angelis, certe iuxta corpus. Id si uerum est, nimirū manet in utraq; lectione par difficultas, quam tuū agens negocium sic conor explicare, ut βραχῦτι ad tēpus pertineat, non ad modū dignitatis. Quod si recipimus, ut receptū est ab orthodoxis aliquot, & magni nominis Theologis: nihil fuerit in utraq; lectione absurdum, & liberū erit utram uoles sequi. Nec hic cuiq; præeo: nec hanc, aut illam sententiā uel approbo, uel reijcio: quod tu tamē toties inculcas à me factum. Siue isto,

βραχῦτι ad
tempus ex
ponens Fa
bri opinio
nē firmat.

isto, inquis, Minuisti eum paulominus ab angelis: quē
 posteriorē interpretandi modum approbare uidentur
 Erasmus. Ac rursus. Nam iuxta septuaginta aditio-
 nem ait, Minuisti eum paulominus ab angelis: quam
 etiā approbat interpretationem. Iam illud uidebatur
 mihi parum pudēter abs te factum: ut cum *βραχυτι* ad
 temporis modum relatū, omnē explicet difficultatē: tu
 perinde quasi iam euiceris, eō referri non posse, ita triū-
 phum agis, ita nobis insultas. Atq; id quidē post cona-
 ris oppugnare: sed t̄p̄ efficaciter, mox uidebim⁹. Certe
 cū hoc in ambiguo reliquisses, non erat cur huiusmodi
 cōuicijs ueluti prostrato iam, & iacētī insultares. Sub-
 ruetur igit̄, inquis, Propheta, quomodocūq; siue à deo,
 siue ab angelis interp̄temur: quare hic sermo seip̄m eli-
 dit, & falsum esse ex omī parte manifestat. Iā illud ma-
 gnis tragœdijs exagitas, quod scripserā **CHRISTVM**,
 cū ob humanā naturā assumptā, tum ob humanæ con-
 ditionis suscepta incōmoda, non solū infra angelos, ue-
 rum etiā infra abiectissimos homines fuisse deiectū.
 Atq; hic tu miro supcilio, hūc, inquis, sermonē animo-
 se refutabimus tanq̄ impiū, & **CHRISTO**, deoq; indi-
 gnissimū, tāq̄ spiritui aduersantē, & literæ quæ occidit
 adhærētē. Huiusmodi multa sunt mi Faber, in tua ista
 præclara, & amica disputatione, quæ me cōpulerunt ad
 purgandā famā, abs te tā atrociter petitā. Absit ut ego
 sciens quippiā in te scribā istiusmodi. Quod siquid hu-
 manitus

Erasmi Fa-
 ber nō ad-
 monuit
 priuatim.

manitus excidisset parum consentiens cum doctrina
 CHRISTI: tuum erat amicum errantem amice monere:
 nunc hæc omnes prius scire uoluisti, quæ me: quæ nec epi-
 stolio, nec per amiculum quempiam dignatus es sub-
 monere. Cū tamē Episcopus Parisiensis, cū hic regis sui
 nomine legatione fungeret, inter colloquia narrarit au-
 disse ex te, quod cū fatereris te multis in locis recte mo-
 nitum à me: in nonnullis tamen scripto conflictaturū
 mecum. At si uera est typographi inscriptio: iam tuum
 hoc opus erat æditum. In scitiā, errorē, aut siquid aliud
 est humanū, impingi mihi, facile patiar: at impietatem,
 & indignitatem in deum, cæteraque huiusmodi impin-
 gi mihi, pati nec possum, nec debeo. Neque tamen uices
 referam, ut tam asperam criminationem, criminatione
 repellam. Efficiam, ut quod non minus scite, quæ pie di-
 xit optimus ille Cyprianus, pudor Christianus potius
 quæ dolor loqui uideat. Mihi in præsentia sat fuerit, tan-
 tæ impietatis crimen à me depulisse: nec luto repetam,
 qui me luto conspersit, contentus absterfisse: ne rursus
 aliam mihi labem contraham, dum labem contumaci-
 ter eluo: fiatque ut dignus etiam uidear hac contumelia,
 si contumeliam contumelia retaliaro. Equidem illud ar-
 bitrabar ad CHRISTI gloriā pertinere, si illius humi-
 litatem, quā sponte nostra causa subiit, quæ maxime ex-
 aggerasse: præsertim cū Paulus ausus sit dicere, Exi-
 naniuit semetipsum: & à Propheta uermis: siue ut qui
 dam

Hæreseos
 criminis ē
 impatiēs.

Exaggerā/
 da humili-
 tas Christi

dam uertunt, quorum est Ambrosius, scarabeus appelletur, & huiusmodi habitu pingatur ab Esaia: & cum ipse in euangelio dicat, Vulpes foueas habent, & uolucres cæli nidus: filius autem hominis non habet ubi caput suū reclinet: & alibi se comparet grano sinapis condendo in terram: multaq; id genus alia, quæ summam CHRISTI humilitatem nobis declarāt. Quicquid em̄ hic accumulatur: hoc nobis illius erga nos ineffabilem charitatem cōmendat. Nec hoc sentio, quod uideris interpretari CHRISTVM aut simpliciter inferiorem: aut ita fuisse angelis, hominibusue inferiorem, ut esset deterior, sed aliqua parte fuisse his inferiorem. Certe mihi uidetur hoc nomine multū descendisse, ac deiecisse sese infra angelos, quod assumpserit corpus & animā mortui, cruciatui, doloribusq; obnoxia. Hæc opinio si impia est, si deo, CHRISTOq; indignissima: si spiritui aduersatur: si literæ quæ occidit adhæret, ut tu prædicas, fateor errorem meum. Ita hæctenus sensi, libenter tamen mutaturus opinionē, ubi fuero meliora doctus. Deinde quod non cōtentus nostram assumere naturam dei filius: omnes penè huius uitæ calamitates in se recepit: labores, dolores, sudores, famem, sitim, lachrymas, tædium, probra, uincula, flagra, crucem: cum plurimi mortales his malis careant, qui tamen his malis digni sunt: uidebatur mihi aliqua ex parte descendisse, & infra infimos homines: non quod interim desineret esse summus, ac

Christus nō
fuit simpli
citer infe
rior ange
lis.

Infra infi
mos hoīes
se deiecit.

f mus, ac

mus, ac felicissimus, sed qd' hæc nostra mala sua sponte ut homo in se reciperet. Nec em̄ arbitror ad rē pertinere, si quæ plurima de CHRISTI dignitate congeris, coner refellere. Latissimus erat cāpus om̄ia persequi, quæ CHRISTI declarāt sublimitatē: ac rursus recēdere, quæ testentur eiusdem humilitatē: siue ut Paulus loquitur, exinanitionem. Scis plura esse in diuinis libris, quæ nobis uerbi dei explicabilem magnitudinem prædicent. Verum si his quoq; multo plura essent: nos tamē illius celsitudinem haud unq; uel oratione, uel animo possimus assequi. Sunt item innumera loca, quæ mire declarant, quo se humilitatis sermo diuinus nostra causa deiecerit. Nec hanc partem ulla mens humana satis explicet, aut etiā cogitatione percipiat. Et quanq; utrobique est mirabilis CHRISTVS, tamē haud scio, an hæc portio magis ad nos pertineat, quod illa magnitudinis admiratio potius ad futuram uitam pertinere uideatur. Tibi placet CHRISTI sublimitatē attollere laudibus: alij fortassis magis cordi est, in humilitatis assumptæ contēplatione uersari, & tamen difficile dictu sit, utrius studium magis pium sit, hoc fortasse fuerit interim salubrius. Et haud scio, an ipse hac sese nobis spectari malit, qua se nobis potissimum exhibuit, post maiestatis gloriam exhibiturus. Certe Paulus gloriatur, se inter suos nihil scire, nisi IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixum, hoc est nō sublimem illum, sed humilem. Nec
ob id

Humilitatē Christi
cōtēplans,
non repugnat subli-
mitatē ei⁹
attollenti.

ob id ilico tuus erit aduersarius, qui hac parte CHRISTVM contempletur: nec tu illius, quē magis capit sublimitatis admiratio. Vterq; unum, eundemq; CHRISTVM ueneramini: sed alter altera ex parte: nec tu celsitudinis, ac maiestatis admirator, officis humilitatis laudibus: nec hic humilitatis cōtemplator, qui cō illius sublimitati detrahit: quod utraq; res in CHRISTVM competat, ob diuinam naturā, in qua semper fuit deus: & ob humanam infirmitatem, quam dignatus est assumere in tempore. Infra angelorum naturam diminutū CHRISTVM: ob corpus doloribus, & mortī obnoxium, ausi sunt dicere ante nos uiri probatæ tū sanctitatis, tū eruditionis, à quibus tu primus & solus omnium dissentis, etiam si in causa simili illos excusas, ut potes: sed tamen ut lapsos esse uelis, me atrociter obiurgas, quod nō solum idem ausus sim dicere, uerū etiā quod adiecerim, infra abiectissimos etiā homines diminutū fuisse. Is sermo uidetur grauius offendisse tuas aures, perinde quasi deroget celsitudini CHRISTI, cū magis attollat illius sublimitatem, quādo bonitatē eius, & sapientiam nobis exaggerat, quibus ille nobis nō minus magnus est, q̄ sua potentia. Tu clamas CHRISTVM dei filium infinitis partibus excellere omnē creaturam: ego cum istuc maxime fatear, & amplectar, aio eundē CHRISTVM uirginis filium aliquando infra angelorum sortem nostra causa descendisse: nec id solum, uerū etiā

Colligit
Christū se
infra abieci-
tissimos
homines
descēdisse.

tumetiam infra multorum hominū sortem descēdisse, qui non solum naturam assumpserit, siti, fami, lassitudi-
ni, probris, dolori, morticq; obnoxiam: uerumetiam tot
humanæ uitæ iniurias, hoc est nostris peccatis debitas
pœnas in se receperit. Atq; ut sic auderē loqui, Diuus
Paulus mihi fiduciam tribuit: qui in epistola ad Philip-
penses uidetur huiusmodi gradus in CHRISTO sub-
notare, cum deiecti exemplum nobis proponens ait:
Qui cum in forma dei esset, nō rapinam arbitratus est
esse se æqualem deo, sed semetipsum exinaniuit, formā
serui accipiens: in similitudine hominum factus, & ha-
bitu inuētus ut homo. Haftenus indicat, quatenus in-
fra angelos descenderit. Mox aperit, quatenus se deie-
cerit infra homines, Humiliauit semetipm factus obe-
diens usq; ad mortem: mortem autem crucis. Pauci ho-
mines ad mortem usq; se humiliant: pauciores ad mor-
tem crucis. Tu sic faues CHRISTO, ut nolis eū esse de-
iectum, nisi paululum, Idēq; à deo: at Paulus exinaniū
dicit, ut uel ipso uerbo statim intelligas eum multum
esse deiectum. Deinde fatetur Paulus, ob hoc ipsum
exaltatum, quod sese plurimum humiliauerit: propter
quod & deus exaltauit illum, & donauit illi nomen su-
per omne nomē. Sic exaltatus est, ut nihil accederet di-
uinæ gloriæ: sic humiliatus est, ut eidē nihil decesserit,
& tamen uere humiliatus est, uere exaltatus est. Si qui
semet humiliat, sese dericit: & q humiliatus est, aliquo
modo

modo inferior est: alioqui nec humiliatus diceret, & si ob id humiliatus diceretur, quod ueluti seruus obediret usque ad mortem, & mortem crucis: & ad eas penas descenderit, quas nemo mortaliū aut passus est, aut fortasse pati possit, quid habet impietatis hic sermo. si dicatur infra abiectissimos etiam homines abiectissimum se? Graue onus paupertas: ille uoluit esse pauperrimus. Dura res dolor: ille summos in se recepit cruciatus. Acerbissima rerum mors, & mors adacta, denique talis mors, & hanc in se recepit. Morte quoque acerbior ignominia, conspui, & probris obrui uoluit. Quod humanā assumpsit naturā, hactenus æqualis fuit cæteris hominibus: quod pauper, quod in summis laboribus uixit, hactenus infra multos homines fuit: quod mortalis erat, hoc nobis erat æqualis: quod talem mortem pro nobis delegit, infra uulgus hominum sese deiecit. Nec ea res quicquam opinor, detrahit dignitati CHRISTI, qua semper est patri æqualis, non profecto magis, quam illius felicitati derogat: siue, ut quidam loquuntur, beatificæ fruitioni, quod in anima pariter, ac corpore summos pati uoluit cruciatus. Nec enim ob id CHRISTVM facimus infelicem, quod & carere uoluit his commodis, quibus hominum uulgus se felices putant: & nostræ conditionis incommoda perpeti, eaque perferre, ob quæ uulgus infelices uocat. Etiam si tuus Aristoteles ista partem aliquam felicitatis, & infelicitatis, atque adeo plus, quam dimidium

f 3 facit.

Humilia-
tio Christi
ad susce-
ptos dolo-
res referē,
non tantū
ad huma-
nā naturā.

facit. Ac ne quid forte cauilleris: cum pleriq; recētiores,
humiliationem, siue exinanitionem CHRISTI non ad
dolores susceptos, sed ad naturam hominis assumptā
referant, me perperam hoc de meo addidisse: primum
uides ipsum Paulum insignite distinguere naturam a
malis susceptis, non solum hoc loco, quem modo cita-
uimus, uerum etiam in epistola ad Hebræos, cum ait:
Eum autē, qui modicum q̄ angeli minoratus est, uide-
mus IESVM propter passionē mortis, gloria, & hono-
re coronatum. Ac paulo inferius. In eo em̄, in quo pas-
sus est, ipse & tentatus, potens est & eis qui tentātur, au-
xiliari. Audis non naturæ, sed passionis mentionem.
Quod si quis attentius excutiat Ambrosianā interpre-
tationem, comperiet hanc quoq; humiliationē nō tan-
tum ad naturam assumptam, uerū etiam ad susceptas
naturæ contumelias referre. Siquidem hunc edisserens
locum, quē paulo ante citauimus, ait: CHRISTVS igitur
sciens in forma dei se esse, æqualem se ostendit deo,
sed ut humilitatis legem doceret, Iudæis se comprehen-
dentibus, non solum non repugnauit, sed semetipsum
exinaniuit: hoc est, potestatem suam ab opere traxit, ut
humiliatus ociosa uirtute informari uideretur, formā
serui suscipiēs, dum tenetur, & ligatur, & uerberibus agi-
tur, usq; ad crucem factus obediens patri: cui se æqualē
sciebat, non sibi defendit æqualitatem, sed subiecit se.
Hanc patientiam, & humilitatem imitari nos docet: ut
non solum

non solum æqualibus nos non anteponamus, uerum etiam inclinemus nos, autoris nostri secuti exemplum. Ac mox. Serui autē formā accepisse dicitur, dum quasi peccator humiliatur. Serui autem ex peccato fiunt, sicut Cham filius Noe, qui primus merito nomen serui accepit. Atq; hæctenus quidem audis Ambrosium, mecum haud obscure facientem. Is CHRISTI humiliationem exaggerat, quo insignius sit exemplum, quod nobis in se expressit, quod nominatim iussit imitari. Discite à me, qd̄ mitis sum, & humilis corde. Tu CHRISTVM paululum quiddam humiliatum esse uis, homo misericors opinor, qui nolis CHRISTVM durius accipi. Iam quæ sequuntur apud Ambrosium, dilucidius etiam pro me faciunt. Non enim, inquit, mihi sicut quibusdam uidetur, sic formā serui accepisse, dum homo natus est. Ego ad utrunq; retuli CHRISTVM diminutū, iste tantum ad uitæ nostræ cōtumelias referri uult. Diuus Augustinus quanq; magis spectare uidetur assumptam hominis naturam, tamen passionis mentionem adiungit, cum ait: quem minutū paulominus ab angelis per humilitatem carnalis generationis, atq; passionis audiuius, & credidimus. Quandoquidem carnalem generationem appellat naturam hominis assumptam, passionem, naturæ cōtumelias. Ac paulo superius, de quo propter infirmitatem carnis, quam sapientia dei gestare dignata est, & passionis humilitatem, recte dicitur,

Minuisti

Seruus bnd

Minuisti eum paulominus ab angelis. Rursus duo cōiungit: naturam assumptam, & afflictionem: & passioni nomen humilitatis accommodat, quam tu uis exaltationem dici, etiam si non inficior CHRISTI humilitatem esse gloriosam: quandoquidem, ut inquit Hilarius, illius cōtumelia honor noster est. Vides mihi nec hac in parte scriptorum illustrium deesse patrociniū? Quo si maxime destituerer, non arbitror flagitiū, si quid ipse noui commentus fuisset, præsertim, cum id probabiliter ex Pauli uerbis colligat, & ad CHRISTI gloriam faciat, non ad contumeliam: ad nostram salutem conducat, non ad perniciem. Proinde si sententiā meam tibi probaui, non arbitror æquum esse, tantopere offendi te, quod dixerim illum deiecisse se infra abiectissimos homines. Et fortasse deijcendi uerbum, tibi contumeliam sonat. Dicitur descendisse, dicitur humiliatus, dicitur diminutus, dicitur inferior, dicitur minor, deniq; Paulo dicitur exinanitus: & cur est, quod nos offendat deijcendi uerbum, aut si quod aliud est huic simile? Neq; puto te tam rudem latini sermonis, ut existimes abiectos, aut deiectos tantum dici, qui suo merito malis obnoxij sunt. Cum em̄ ait Quidius: quāuis abiectus, & infra te quoq; sim: nō mores suos accusat, sed sortem duram, & grauem indicat. Absit enim, ut nō dicam me, sed quenq; Christianorū huc impietatis, uel potius amētiae prolapsū existimes, ut CHRISTO uictum

Hilarius.

Abiectus
quis.

tium, aut indignitatem, aut ignominiam affcribat, & animi malis cum abiectissimis, hoc est sceleratissimis hominibus conferat. An non laboriosos, pauperes, contemptos iuxta mundum, abiectos dicimus: & an non uere aliqua in parte humiles, abiectique sunt? Cum sic abiectis hominibus CHRISTVM similiter abiectum compono: nisi quod, quae illi saepe adacti necessitate patiuntur, hic uolens nostra causa tulit. Non eum cum latronibus confero, sed cum martyribus: & si illum cum suis latronibus conferam, quod indigniora, quam illi passus sit, cum illis uera crimina non opprobrentur, hic innocens tot probris affectus sit, non opinor me impie facturum. At dicis: Ista quae CHRISTVS in se uolens recepit, mala non sunt, nec reddunt deteriore, sed potius meliorem: atque hoc loco non nihil a Peripateticis tuis desciscens, ad Stoicos prouocas. Si etiam Philosophos, inquis, interrogemus: an uir fortis ut uictoriam pariat, populique salutem, quod ad flagra, ad uulnera, ad ipsam denique mortem sciens, uolensque descendat, an, inquam, inferior, abiectiorque habeatur? Dicent proculdubio, quod multo etiam superior, multoque honorabilior. Et in eandem sententiam de martyribus philosopharis. Primum ad quod genus malorum pertineant, quae iuxta tuum Aristotelem non sinunt hominem adipisci, perfectam felicitatem, nihil mea refert: mihi satis est esse in aliquo malorum genere. Socrates nihilo deterior erat, cum cicu-

De malis
poenae, non
culpa senti-
tit.

Simile

tam biberet, cum compedes gestaret in carcere, quæ cum aureus staret in foro: & tamen illic aliquo modo deiectus erat, hic euectus, & honoratus. Si quis rex, mendici pannis tectus, famem, exilium, carcerem ultro subeat, quo consulat Reip. nonne recte dixeris hunc à regia fortuna deiecit se, infra abiectissimos etiam homines? At hoc ipso maior est, inquis, quod ad ista descenderit. Si quo modo fateris descendisse: aliquo modo inferiorem fatearis oportet. Sed alia ratione inferior est, alia melior, & honoratior. Si sortem, & cruciatus attendas, & cum pristina gloria conferas: multum se deiecit, si uirtutem animi multo seipso melior est. Martyr hac parte, qua ad iussum regis ceruicem porrigit, & Tyranno se submittit, hoc est inferior: cum pietate sit illo longe superior. Et quemadmodum martyr in supplicijs amore CHRISTI, & eius exemplo sese humiliat, ita eiusdem exemplo, gloria, & honore coronatur: ut qui socius fuerit deiecto, idem socius sit euecto, & regnanti. Neque tamen nos usque CHRISTVM abiectum, aut abiectiorem diximus, quod tu repetis in hac argumentatione: neque quisquam illi abiectiorem, aut improperiū obiicit, quod, ut ais, infidelium est, ac Iudæorum. Imo utrunque in illo adoramus, & exosculamur: & quod exaltatus est super omnia: & quod nostra causa sic sese deiecit. In altero uidemus, quid nobis sit imitandum: in altero, quid sperandum. Adoramus sublimem sedentem ad dextram patris, &

tris, & eundem adoramus uagientē in cunis: adoramus
 consputum, adoramus infamī sententiā damnatū, ado-
 ramus etiānum crucis, & plagarū pro nobis susceptarū
 seruantem uestigia. Cur tibi solum placet exaltationis
 uocabulū? cum ne possit quidē exaltari, qui non aliquo
 modo fuerit inferior. Si recte inferior dicitur, in imo sub-
 sellio sedens uir optimus, eo qui summo thoro recum-
 bat nequissimus: an non aliquo modo inferior est, qui
 tot humanæ uitæ iniurias in se recepit? Nec enim quis
 quis aliquo modo inferior est, statim, & simpliciter est
 inferior. Non loquor, inquis, de homine assumpto,
 sed de IESV CHRISTO, qui est deus, ac filius dei.
 Atq; ego de eodem loquor homine, & hominis filio, &
 homine crucifixo, tot mala pro nobis passo. Si IESVS
 CHRISTVS tantū est dominus, & filius dei: qui intelli-
 gitur diminutus? Si idē est hominis filius, & hactenus
 se minor: quid absurdū sit, huc referre diminutionem?
 Et haud scio, an probabilius sit CHRISTVM, & CHRI-
 STI nomen, sic enim loqueris, cum duas utcunq; signi-
 ficet naturas, pro una duntaxat accipi, nō pro duabus:
 aut, ut tu uis, ē duabus composito: etiam, si cum filius
 hominis diminutus dicitur: quoniam comparatio ad
 duo refertur, sermo uidetur ad utranq; naturam respi-
 cere: assumptam, & assumptam. Alioqui cum dico,
 CHRISTVS assumpsit humanam naturam: utrum
 CHRISTI uocabulum pro utraq; naturā positum ui-
 detur.

Christus se/
 cundū quod
 homo di-
 minutus est.

Improbat
 Fabrū, qui
 uidet Chri-
 stum pro
 utraq; na-
 tura acci-
 pere.

Naturam
humanam
induit diui-
na, nempe
ut in filio,
ceu piam
enunciatio-
nē omnes fe-
rūt: quam
Erasmus
qdē haud
grauatim
usurpat,
quoniam
suppositi
appellatio
priscis est
inaudita.

detur, an pro altera, nempe diuina? Et cū Augustinus ait, dei filius assumpsit filium hominis, cum utrunq; sit hypostaseos uocabulum, tamen apparet utrūq; pro altera natura accipi, Pro in tu uideris, an quacūq; aliquo modo duo significant, statim in enunciationibus pro duobus accipiātur. Nisi forte cum album dico, quoniā ea uox substantiam significat: simulq; colorem inhārentem, albū recte pro utroq; dicitur accipi. Aut quia pater in diuinis duas significat personas, alterā in recto, alteram in obliquo, protinus pro duabus accipietur. Aut quia cæcus significat oculis captū, atq; obiter etiā amissum uisum, pro utroq; accipietur. Et tamen quod hactenus à me dictum est, argumētando duntaxat est dictum: ut eò peruenirem, quò tendebam, *βραχῦτι* ad tempus esse referendum. Tu perinde nos oppugnas, quāsi hic esset disputationis meæ cardo. Sed operæ precium est audire, quanto molimine excusas, quod CHRISTVS in psalmis dixerit se uermem, & nō hominem, opprobriū hominū, & abiectiōnē plebis: Nam hunc forte locum adduxeram. Quasi uero periculum esset, ne CHRISTVS crederetur uere fuisse uermis, nisi te famæ suæ patronū esset nactus. Nihil offendit piās aures, quod uermis dicitur, nō magis, q̄ quod lapis dicitur, aut agnus, aut leo, aut uitis, aut granū sinapis, aut aliud simile. Atq; hic putas tibi Tenediam bipennem repertā, qua omnes huiusmodi nodos disseces, si omnia, quæ in

quæ in hanc formã de CHRISTO leguntur in diuinis literis, non ad ueritatem, sed Iudæorũ pertineant existimationem: siue ut tu loqueris, æstimationem: uisq; totum illum psalmum, qui derelictionẽ, deiectionem, & confusionem sonat, secũdum æstimationẽ, & iudicium sacerdotum, scribarum, & pharisæorum esse intelligendum. Atqui si sic accipi poterat: cur nõ mea uerba sic interpretaberis? CHRISTVM æstimatione Iudæorũ fuisse diminutum infra abiectissimos homines, minus est abiectum esse infra homines, q̃ appellari uermem, q̃ probrum, q̃ reiectamẽtum? Et si hæc pie possint intelligi: cur in meis suspicaris impietatem? Sed tamen tu uideris, an uerum sit, quod ais, totum illum psalmũ ad existimationem Iudæorum pertinere, nisi forte quod inibi legitur: Foderunt manus meas, & pedes meos. Itẽ illud: Omnes uidentes deriserũt me, & cætera, existimationis sunt, nõ ueritatis. Quid quod recentiores etiam Theologi negant CHRISTVM moriturũ fuisse, ni diuinitas humanum corpus aliquo modo dereliquisset. Quod si uerum est, nõ opinione, sed re fuit derelictus. Cum autem constet appellatione uermis nihil aliud significare, q̃ summam CHRISTI humiliationem, eaq; humiliatio sita sit in malis, quæ nostra causa assumpsit: si uere mala nostra recepit, & passus est, uere fuit humiliatus, & hactenus uere uermis. Certe quod cæsus est flagris, quod cõsputus, quod uinctus, quod accusatus,

Vermis sũ
nõ homo,
non debet
ad existima-
tionem
Iudæorũ
exponi.

g 3 quod

quod damnatus, quod probris affectus, quod inter sceleratos crucifixus, ueritatis est, nō existimatiōis Iudaeorum: & tamen ob hęc uermis dicitur, ob hęc dicitur humiliatus, ac diminutus: ob hęc exinanitus? Sed immerens ista tulit. Fateor, uerum ista hoc sunt indigniora, si accidant immerenti. Atq; aliquanto inferius hoc agis: ut quod uermis appelletur, ad nos pertineat, non ad CHRISTVM, quod uermis terrenus sit, CHRISTVS autem cælestis dicitur apud Paulum, & tamen Diuus Augustinus hunc enarrans locum, ausus est ad ipsum CHRISTVM referre. Quare, inquit, uermis? quia mortalis, quia de carne natus, quia sine concubitu natus. Atq; hęc cum uere in CHRISTVM competerent: non iuxta hominum existimationem: quomodo tibi existimatione tantum uermis dicitur? Tametsi hoc quidem in lōco, quod apud Augustinū sequitur, mihi non admodum probatur, qui sic interpretatur, non hominem dictū, quod deus esset. Quare, inquit, non homo, quia in principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum. Id enim argutius uidetur dictū, q̄ uerius. Nec enim ideo CHRISTVS homo non erat quod deus esset: nec absq; tropo dictus est, non homo. Tametsi sic propemodū argutatur, & Ambrosius enarrans apud Lucam Petri negationē, quasi sic dixerit Petrus, non noui hominem, quod deum agnosceret. Sed ut ad rem redeam. Idem Augustinus edisserens primū
caput

caput euangelij Ioannis scribit hunc in modū. Si enim ipse dominus dicit, Ego autem sum uermis, & non homo: quis dubitat hoc dicere, quod scriptum est in Iob? Quanto magis homo putredo, & filius hominis uermis? Putredinis appellationem ad nos referēs, uermis ad CHRISTVM. Necꝫ uero Paul⁹ ideo CHRISTVM cælestem uocat, quod corpus terrenū non haberet, sed quod à contagio terreni Adæ abesset. Quādoquidem illic duos fecit Adam: alterum peccandi principem, alterum innocētiae principem. Quod si solus CHRISTVS cælestis est, cæteri omnes terreni, igitur uermis appellatione in martyres, non iuxta existimationē malorum, sed uere competet, iuxta tuam interpretationem. Quod si hic quoque ualere uis *κρησφύγετον* opinionis: cur addis scribarum & pharisæorum? An apud istos tantū passi sunt martyres, aut apud hos tantum contempti? Tam cōmentum quod adducis de non homo, cum addis. Unus enim deus, & unus mediator dei, & hominū: homo CHRISTVS IESVS, q̄ sic homo est, quod omnīū hominū maxime homo, & uere homo. Hic si tibi res esset cum homine sophistico: uide quo pacto tueri possis CHRISTVM omnīū maxime uere hominem esse, cum iuxta tuum Aristotelem magis & minus nō cadat in substantiam, ut CHRISTVS magis homo dici possit, etiam si melior cunctis hominibus dici debeat. Nō referam hoc loco par pari, ut summo (quod aiunt) iure tecum

tecum contendam, & de uoculis cauiller, postea quæ mihi
 fatis liquet, quid senseris. Iam opprobrium hominum,
 & abiectiōnem plebis, cur uereris CHRISTO accom-
 modare: sed in alios homines detorques, cum Paulus
 non uereatur eum peccatū, & maledictum dicere? Hæc
 uerba si pie dicuntur de CHRISTO, quæ impietas est
 dicere CHRISTVM infra homines diminutum, modo
 id sentiatur, quod de CHRISTO sentire cū primis est
 piū. Si uerbis offenderis, his magis offendi oportuit.
 Si sentētia, nihil hic est impiū, nisi si quis impie interpre-
 tetur. Si dixissem CHRISTVM humiliasse se infra hu-
 millimos homines, non abhorrerem, opinor: cur uocife-
 raris impietatem, si dixi abiectum infra abiectissimos
 homines, cum recte humiliatus dicatur, qui se humilia-
 rit: & nihil aliud sit abiectus, quæ humiliatus? Quod si
 uocis nouitas sola te offendit: usus est ea ante nos de
 CHRISTO Augustinus, hunc psalmi locum exponēs.
 Quare, inquit, ergo sic se abiicit, ut diceret uermis? At
 dices, abiicit se oratione, fateor. Sed uera tamē opinor:
 unde consequitur uere fuisse abiectū. Iam quod scribis
 CHRISTVM opinione Iudæorum fuisse derelictum
 à patre: nō solum frigidulum est, uerū etiam ab omniū
 ueterum interpretum sententia dissentiens. Quasi hoc
 CHRISTVS illic queratur patri, quod Iudæi male de
 se sentiant: pro quibus paulo ante orauerit. Et haud scio,
 an præstiterit mi Faber, ulcus hoc existimationis in to-
 tum non

tum nō tangere, ne cui minus incipiat displicere Marci
 cuiusdā, aut Marcionis opinor hāresis: qui, ut autor est
 Augustin⁹, docuit CHRISTVM nō uere, sed putatiue
 passum. Iā qđ me rogas, q̄ conueniat. eū qui est primo
 genitus om̄is creaturæ, & supra omnē creaturā dici uer
 mē: & eū dici nō hominē: de quo dicit Apostolus, unus
 em̄ deus, & un⁹ mediator dei & hominū homo, CHRI
 STVS IESVS, rectius ab ipso Propheta scisciteris, imo
 ab ipso CHRISTO, q̄ se per os Prophetæ uermē dixit,
 Neq̄ uereor, ne ob id mihi succenseat CHRISTVS, si
 ipsius utar uerbis in eū sensum, in quē ille dixit, si qua
 fides tot otthodoxis interptibus. Atq̄ inter hos est di
 uis Hieronymus unus multorum instar, exponens se
 cundū caput epistolæ Pauli ad Titum, palam CHRI
 STVM uermem appellat: & amplius ausus, peccatum,
 & maledictum audet dicere. Quod autem Pauli testi
 monio doces CHRISTVM hominē dici, fateor: risi se
 dulitatem tuam: quasi uero periculum fuisset, ne quis
 alioqui CHRISTVM negasset hominē, nisi unū Pauli
 locum nobis obiecisses, cum ipse toties in euangelio se
 uocet filium hominis. Porrò quæ citas è diuinis libris,
 docens CHRISTVM non fuisse uere derelictū, non mi
 nus pro me faciunt, q̄ pro te. Nō spreuit deus, neq̄ de
 spexit deprecationē pauperis. At qui deprecatur, quo
 niam implorat opem, aliquousq̄ uidetur derelictus.
 Alioqui quid implorat, si nihil desyderat? Ac mox. Et

h cum

cum clamare ad eum, exaudiuitane. Quid clamat, qui nulla in re destitutus est? Aut quomodo liberatur, qui nullo pacto sint derelicti? Et ne singula persequens fiam loquacior, & illud quod addis: Nā & uirgo MARIA aderat, & dilectus discipulus, & Magdalene, & mulieres IESVM secutæ, quæ multa compassione, & deo, & angelis grata pietate, flebant super eum: uirginis autem cor, gladio passionis eius confossum est, & anima eius

Pietas. transuerberata: pro nobis facit. Cui compatiuntur? quæ misericordia prosequuntur? nam id, opinor, dicis pietatem, licet uulgate magis, quæ erudite. Num uerbum dei patri semper æquale? an hominem pro omnibus dira patientem? Quem flebant? num excelsiore creaturis omnibus? an abiectum, & infra latrones? Et si idem, unusque est CHRISTVS, in quem hæc tam diuersa competunt. Vides ut hæc nostræ sententiæ adstipulentur etiã non solum nihil officiant, ut ne illud excutiam, quod CHRISTVS apud Lucam seipsum uiride lignum appellat, innocentia magis esse, quæ dignitatis. Quod miror cur adducendum putaris, nisi forte periculum erat, ne quis nostrum CHRISTVM scelerosum hominem iudicaret. Aut si propositum erat colligere, quæ illius dignitatem indicant: cur è tam multis paucula quædam adducis? Si uolebas refellere, quæcumque CHRISTI humilitatem sonare uidentur: cur uix unum, aut alterum locum attingis? Vides igitur totum hunc locum tibi extra causam esse decla

esse declamatum. Post hæc pergis excutere, an quod ad hæc mala descendit CHRISTVS, ob id fuerit in se diminutus. Belle meherde proponis, quasi à me usq̃ sit dictum, illum in se fuisse diminutū. Quanc̃ hoc in se quid sibi uelit, nō satis intelligo. Si in se accipis p̃ uere, dicam in se fuisse diminutum, qui uere fuerit diminutus. Fateris assumpta natura humana CHRISTVM fuisse diminutum. Vere autem eam assumpsit: uere igitur fuit diminutus. Sin cum in se dicis, sentis absolute, simpliciter, & per se, fateor absolute summū: & ne nihil uidear ex tuis libris hausisse, plusq̃ infinite summum. Iam nec illud satis intelligo, quid sibi uelit, quod negas CHRISTVM in euangelio seipsum dicere uermem, sed lucem mundi, sed uiride lignum: aliāq̃, quæ dignitatis sunt: nisi forte innuis Prophetæ uerba non satis apud nos habere ponderis, & par esse, ut euangelicæ cedant autoritati? An ut CHRISTVM credamus recte uermē dici, non satis est nobis, quod à propheta uermis sit dictus? Quasi uero non bona pars euangelicæ historiæ CHRISTI nobis humilitatem decātet. Aut quasi Propheta non aliās adoret, ac stupeat eius sublimitatem, quem hic uermem appellat, & reiectamentum plebis. Cum legis cunas, cum præsepe, cum legis uagiētem, cū circumcisum, cum fatigatum, cum ob famem accurrentē ad ficum, cum assumptum, ac tentatum à diabolo, cum legis filium hominis, cum legis non habentē, ubi caput

Prophetæ
nō pugnāt
cum euan-
gelio.

suum reclinet: cū nec uulpibus sua desint latibula, nec
 auibus nidi, cum lachrymantē legis, & infrementē, cum
 indigna audientē. Denic̄ cum totam passionis histo-
 riam: quæso, quid aliud legis, q̄ filium dei infra omnes
 homines diminutū, ut super omnia exaltaretur? Cum
 legis deformatū, despectum, nouissimū uirorum: cum
 agnū coram tondente se obmutescētē, an paululum
 quiddā diminutū legis? Quæ omnia cum CHRISTO
 tribuant, nō offensa illius ineffabili dignitate, qua sem-
 per fuit hominibus, pariter atq; angelis adorandus, qd̄
 ob diuersas naturas, diuersissima in eum cōpetant: ni-
 hil erat cur celsitudinis admirator, humilitatis comme-
 moratione offendatur. Neq; em̄ ideo non uere seruus
 dictus est, quod uere dominus fuerit omniū. Si mini-
 ster est, qui sordido etiā ministerio fungitur: ille lauans
 discipulis pedes, minister erat: at nihilo secius eorūdem
 dominus. Iam nō uideo, quid tibi uelis, cum collectio-
 nem meā calumniaris, quasi parū argute ratiociner. Et
 qd̄ inquis, nulla proportio sit naturæ humanæ ad deū:
 id nō efficit quod inde dicat̄ uermis: alioqui & Cheru-
 bim uermes appellādos: qd̄ nec ad hos ulla sit dei pro-
 portio. Quæso te, sic argumentor usq;? Imo ut doceā
 infra abiectissimos homines diminutū CHRISTVM,
 adduco Prophetæ testimoniū. Quid autē attinebat ar-
 gumento probare, quod ipse per Prophetam loquitur
 CHRISTVS? Iam quod subijcō: nulla enim p̄portio
 humanæ

Cauillum
 amouet.

Idem dicitur, quod ab ipso uideatur non in maiori & simplici causa inaequalitate. Quis: frequenter & 107 modo
sive illud sic non modo in modo frequentat.

62 ERASMI ROTEROD. APOLOGIA

do id sit paululum quiddam. At iuxta idētitatis propor-
tionem, ne tantulum quidem fuit diminutus. Proinde
qui uerum est, quod ipse dicit in euāgelio: pater maior
me est: ubi audis minor, & maior: alia quaedam propor-
tio sit oportet, quā aequalitatis. Si tu ex euāgelij loco,
ego & pater unum sumus, recte colligis proportionem
aequalitatis, quā minus ego ex euāgelij loco, pater maior
me est, colligo proportionē inaequalitatis: Ea si sumit
ex comparatione rerum in infinitū inter se distātiū,
aut profer ex tua mathematica, quā sit ista propor-
tio, aut mecum fatere nullam esse proportionē. Quod
si iuxta hanc comparisonem CHRISTVS dicitur mi-
nor patre: aut finitis gradibus minor est, aut infinitis:
non opinor dices finitis, cum ipse fatearis inter creatu-
ram & creatorem, nullam esse proportionem. Sin infi-
nitis: quomodo tu defendis eum paululum quiddam
fuisse diminutū, cum paulominus, siue paulum conten-
das non ad temporis spatium, sed ad dignitatis modū
esse referendū: An tibi quod infinitum & immensum
est, paululum quiddam dicitur: Ego impius qui iuxta
hanc rationem scripserim, non paululum, sed plurimū
imminutum à deo: Opinor si unquā aliās, hic te mediū
teneri: nec tamen urgebo molestius, nec insultabo ca-
pto, etiamsi id mereri uidebatur, qui alteri de nihilo
struit calumniā. Nec excutiam interim hęc tua uerba,
ne te relaxare uidear non me tueri, quibus agis, filij ho-
minis

minis ad deum esse proportionē identitatis. Si filij hominis, quatenus est filius hominis ad deum, est æqualitatis proportio: cedo, qua ratione minor est. Si quatenus deus est, æqualis deo dicitur: quid noui dicitur, aut quis istuc negat? Non em̄ digladior interim cum ij, qui uolunt in euāgelio sic patrē maiore filio dictū, ut tamē filius nō sit patrē minor: mihi satis est, qd' Augustinus nō ueritus est dicere, filium patrē inferiore, & inferiore seipso. Item quod scribis, ob id quod uerbū & filius dei diuinæ est cōditionis, eiusdēq; cū deo naturæ. Nā creatura nō est, perinde ac neq; deus. Hic rursus distinguis filiū dei à deo: dicitq; eū nō magis esse creaturā, q̄ ipm̄ deū, opinor patrē, ut Pauli modo locutus uidearis. At qui pater nullo modo creatura est: filius dei si nullo modo est creatura, cōsequetur nec hominē esse. Ad hæc si filius dei nō est creatura, loquor iuxta cōmunionē idiomatū: quomodo dicitur diminutus filius dei? quod ne tu quidē negas. At Ioannes non ueretur dicere, uerbū caro factū est. Et Paulus non ueretur eum dicere factū ex semine Dauid. Et rursus: misit deus filium suū factum ex muliere, factum sub lege. Hic audis factū carnē, factū ex semine: & uereris aliquo pacto dicere creaturam? Tametsi disputationis huius periculū nihil ad me pertinet. Ego enim CHRISTVM creaturā esse, neq; aio, neque nego: tu istuc de tuo addidisti. Sed inquires: Augustin⁹, Hilari⁹, & Ambrosius negāt CHRISTVM esse crea-

Christus
quatenus
est homo,
dici potest
creatura,
Erasm⁹ ta-
men istius
non memi-
nit in scho-
lijs.

Vbi nō est
periculum
Arrianæ
hæreseos,
fateri licet
Christum
esse creatu-
ram.

esse creaturam. Quid si ijdem alibi uocant creaturam?
Quid em̄ sentit Augustinus, cum ait in sermone natali-
tio: Admirabile mysterium, quia creator mūdi uoluit
esse creatura. Rursus enarrās CHRISTI sermonem in
monte habitū: Voluit esse creatura, qui est creator. Li-
berius etiā diuus Hieronymus edisserēs eum Pauli lo-
cum, qui est in epistola ad Ephesios cap. secūdo. Ipsius
em̄ sumus factura, creati in CHRISTO IESV. Et quia
semel ad nomen creaturæ uenimus, & sapientia in pro-
uerbijs Solomonis, dicit se creatam initiū uiarum dei:
multiq; timore, ne CHRISTVM creaturā dicere cōpel-
lantur, totū CHRISTI mysteriū negant: & dicunt non
CHRISVVM in hac sapiētia, sed mūdi sapiētia signi-
ficari. Nos libere proclamamus, nō esse periculum eum
dicere creaturā, quē uermē, & hominē, & crucifixum, &
maledictionē, tota spei nostræ fiducia profitemur: ma-
xime cum ex duobus uersiculis qui præcedunt, ipsa sa-
piētia promittat se esse dicturā, quæ post sæcula sunt.
Cum autē CHRISTVS sæcula fecerit, & quæ deinceps
loquitur, ea sint, quæ post sæcula dicturā se esse pmise-
rat: ad incarnationis mysteriū, nō ad naturā dei referen-
da sunt, quæ sequūtur. Hactenus Hieronymus. Audis
CHRISTVM quatenus incarnatus est, creaturam recte
dici. Simul illud obiter admonendus es, CHRISTVM
Hieronymo sic uermē dici, ut dicit homo: & crucifixus
nō opinione Iudæorū, sed re ipsa: quod tibi uidetur im-
pium, &

pium, & blasphemū. Idē Damascenus: CHRISTVS est creatus & increatus, passibilis & impassibilis. Atque idem rursus: Non scandalizatur ad nomen creaturæ, quod se seruum, aut uermē, aut granū, natum de uirgine nominat. Quid quod nec is, qui congeffit sentētiās Theologorum, tractans hanc quæstionem libro tertio, distinctione. xi. negat CHRISTVM recte dici creaturam, sed simpliciter dici non uult, hoc est, secundum hominem dici uult, secundum deum non dici. Porro quod aliās negant creaturam esse CHRISTVM, cum aduersus Arrianos dimicant: sic negant esse creaturam, quemadmodum Arrianus esse uolebat: qui solum patrem uerum deum, solum patrē uere increatū docebat. Quid quod ipse tui oblitus, quem hic creaturam negas, alibi creaturam facis, cum ais: Hominis qui CHRISTVS est, nulla intelligitur distantia, cum eam ad deum habeat approximationem, & unionem, qua creaturæ ad deum nulla potest esse maior. Si CHRISTVS nullo modo creatura dicitur, quid agitur hoc sermone: nisi forte naturā humanam creaturam esse fateris, CHRISTVM ut hominem creaturam esse non uis? Quod si tuo exemplo de uerbis cauillandū est: quid sentis cū ais, CHRISTVM unionē habere ad deū? An CHRISTVS hic tibi naturam humanā significat? Et licebit ita loqui, deus CHRISTVM assumpsit? Alioq̄ quomodo CHRISTVS unetur deo, cū sit ipse deus? Et ubi est, in quo nos ridebas,

Sibi nō cōstat Faber, neq̄ legem loquendi de reb⁹ diuinis obseruat.

i qui

Conditio-
nem pprie
accipit.

qui uidemur CHRISTI nomen pro altera natura usur-
pare. Etiam atq; etiam te rogo Faber, uide quãtam fe-
nestram aperueris in teipsum, qui sic odiose mecum de
uerbis cauilleris? Deinde quid sentis cum ais, uerbũ &
filium dei diuinã esse conditionis, cum conditum esse
negent omnes Christiani: certe quatenus est uerbum,
& filius dei. Quis enim dixit filium dei cõditum? Atq;
hic rursus dissectas filium dei, & deum: quasi filius dei
deus nõ sit: ut ne quid notem omnino fugiendam am-
phibologiam, si usq; erat fugienda, in hisce uerbis cum
ais: Nam creatura non est, perinde ac neq; deus. Vide-
beris enim dicere, filium nec creaturam esse, nec deum.
Quod si tu more Rhetorũ, uel tuo potius, tibi permit-
tis de deo loqui: cur nos tam moleste taxas, circumspe-
ctius loquẽtes te? Sin à nobis recentium Theologorũ
anxietatem exigis: cur tu nec ueterum eruditionem, nec
recentium præstas argutiam? An ignorabas, q̃ iniquã
in sese legem statuat, qui aliorum censor esse uelit? Ve-
rum huiusmodi persequi, nec animus est, nec ociũ. Fa-
teor CHRISTVM quãdam esse, & non esse: cum idem
sit patri æqualis, iuxta diuinam essentiã: patre minor,
iuxta naturã humanã. At qd' minor est patre, aut si pa-
teris sic nos loqui, seipso: quæro utrũ finitis partib9 mi-
nor est, an infinitis? Non dicis finitis. Quod si infinitis:
non impie dicemus, opinor, CHRISTVM iuxta naturã
assumptã nullam habere proportionẽ ad diuinitatem.
Quod

Quod si euinco: ubi est quod tu tantopere asseueras, à solo patre fuisse diminutum, atq; id sanè perpusillum? Nisi forte sophisticis argutijs hic mecum acturus es: ut quemadmodum qui quinq; nummos habet, is & unū habet: ita qui multū sit diminutus, idem & paulum diminutus dici possit. Quod si libeat ad istū argutari modum, CHRISTVS nec exaltatus dicet, nec diminutus: quid enim maiestatis accedit ei, qui semper æqualis est patri: aut qui diminui potuit, cuius diuinitati nihil decessit, humanitas etiam euecta est? Verum hæc ad uiuum exigere, non est huius instituti, cum satis interim habeā, impietatis notam à me depellere. Porrò quantum è tua perpetua disputatiōe colligit, nec tua magni refert, utrum CHRISTVS angelis dicatur inferior, an hominibus, hoc est, utrūq; æque putas impium, quod semp fuerit pro sua dignitate utriq; pariter adorāndus. Sed inferiorē angelis, q̄ ad humanā naturā, & afflictionē fecerunt, ut ipse fateris, Athanasius, Chrysostomus, Vulgarius, & Augustinus: nisi forte aliud censes imminutum esse, aliud inferiorem. Sed hos uiros quoniam non putasti cōuicijs insectandos, sic excusas, ut dicas eos septuaginta interpretatione deceptos, & ratos sic esse apud Hebræos simpliciter errasse. Esto nescierint, quid legerēt Hebræi homines, Græci, Latiniq;: cæterum qui factum est, ut tantam impietatem, quātam uis inesse in hac interpretatiōe, non senserint tanti Chri-

Faber Athanasium cū reliquis ueterib⁹ errasse fateat.

stianæ religionis proceres? Cur unus ego male audio, uelut autor huius sententiæ: qui eã nec primus protuli, & tantũ recenseo, nec defendo: Imo qui diuersæ sententiæ magis faueo, si sum in alterutrã propensior: An tantum admisi facinus, quod nõ totus, ac protinus iuerim in tuã sententiã: & altera probata, alterã explodã, atque euerberem, ac penẽ lapidibus insecter: Quid em̄ aliud q̄ lapides loquitur, iuxta dictũ Plautinũ, qui istiusmodi uerba intonat: CHRISTO, deoq; indignissimum, & spiritui aduersantẽ, & Prophetæ mentẽ subruẽtem. Ac rursum illud. Et sic inquis, qui non litera, sed spiritu ducuntur, exponunt fideles. Quid igitur, qui secus exponunt, carne ducuntur, & infideles sunt? Quis non metuat hæc uerba potius, q̄ ullos lapides? Atq; huiusmodi dictis, & his etiã atrocioribus oneras amicũ tuũ in hac beneuolã tua disputatione, amico animo suscepta. Quantũ nõ satis intelligo qd senseris, cũ ais, CHRISTO, deoq; indignissimũ. Si deũ patrẽ intelligis, de hoc nõ sum locutus: si filiũ, quomodo cõiunctione separas deum à CHRISTO? Si me stupidũ, si lapidem, si beluã, si pepo nem, si bliteũ, si quiduis aliud facias, nec admodũ commouebor, nec admodũ refragabor: ignosce mihi, unũ hoc conuiciorũ genus ferre non possum. Quis enim ferat ea, quæ scribis in hunc modum? Et si tum ppter hæc, tum propter alia impropria multa, non negem CHRISTVM dominũ multũ abiectum & diminutũ, Iudæorũ

*Isaïones sunt populi
reprehensant, namque in
cibo. De celo liunt astra
Bibitais, fœba satiuabru
mors et sine sapore
Bibitais a xpi quod est
militi ac militis phely
Bibitais meretrix
Satiua a xpi sig. quod
sem natus, uol quod uocatur
est ut semine hęc*

Iudæorū opinione, & aduersarij sermone, cui mea sententia non pertinaciter hæret, non tamen ita res in se habebat. Quocunq; animo tu hæc scripseris, quomodo putas interpretaturos, qui legent? Me amicū cū Iudæis male de CHRISTO sentientibus coniungis, cum tu interim CHRISTI defensor stas inter pios homines, & ais CHRISTVM meo sermone deiectum, ac diminutū: ac si pertinaciter hæream, uideris denūciare periculū: meq; aduersarium appellas, qui hac in re pro te faciebam, nisi forte CHRISTI facies aduersarium: & quo sit odiosius, Satanā appellabis. Hæc mi Faber nō recēserem, nisi quo liqueret omnibus, quā inuitus ad hanc Apologiā descenderim: cuius ingeniū à nulla re magis abhorret, q̄ ab huiusmodi cōflictationibus. Et addis. Ecce suam passionē uocat exaltationē, non deiectionem, nec in malā notam humiliationē. Quorsūm hæc? (penè dolor anteuertens effutierat: sed reprimam me) Egon deiectionē, aut humiliationē in malam notā CHRISTO tribuam, quē ut fontem omnis gloriæ adoro? Et huiusmodi beneuolis & cādidiis dictis tua disputatio resperfa est? Quis uero non exosculetur tā amicā cum amicissimo cōflictationē? Atq; hæc mea præconiā ne interciderēt, medijs cōmentarijs tuis admiscuisti: & quasi id parum esset, ne uerbulo quidem nos admonendos putasti: ne si rescissem, in tempore me purgare: neu priusq; uirus late serpsisset, adhiberem antidotū.

Sic enim interpretabuntur posteri, tua fortassis lectu-
ri. Non hic insectabor, quæ parū erudite colligas, CHRIS-
TVM nō fuisse humiliatum supplicio crucis, quod ex-
altatus sit à terra, hoc est in crucē suffixus, cum Paulus
hāc uocet humiliationē, quemadmodum ante demon-
strauimus. Imo filius sic humiliatus illustrauit patrē, &
pater uicissim resurrectione illustrauit filium. Gloriam
merebatur humilitas, etiam si nostra gloria crux est
CHRISTI, nisi forte cū Paulus ait, Propter quod deus
exaltauit illū, & dedit illi nomē supra omne nomē &c.
rursum illum adigit in crucem. Verū ut ad id quod ce-
pimus redeamus: Si Athanasium, Chrysoptomū, Au-
gustinum, imo doctores omnes excusatos haberi uis,
quod autoritatē septuaginta, qui à CHRISTO fuerunt
alieni, secuti sint: cur mihi blasphemix crimen impingi-
tur, qui uirorū orthodoxorū sequar autoritatem: imo
qui illorum sententiā tantum recēseam? Si sacrilegum
est dicere, diminutū infra homines CHRISTVM, quod
hominibus semper fuerit adorandus: non aberit à sacri-
legio, CHRISTVM diminutum dicere infra angelos,
siue ab angelis (nihil enim hic refert, quibus uerbis rem
eandem explicemus) quod his semper fuit adorandus.
Quod si pie, uerèque dicitur ab angelis diminutus ob car-
nis nostræ fragilitatē, & huius uitæ incōmoda, quæ no-
stra causa in se recepit, quod his nullus angelorū sit ob-
noxius: opinor haudquaquam impie dici, CHRISTVM
ad tempus

ad tempus infra plerofq; imo omnes homines diminutum: qui plus afflictionum in se receperit, q̄ hominum quisq; unq̄ sit passus, aut perpeti possit. Quorsum uero pertinet illud, quod ex tribus unum facis, & Athanasium, Chrysofomū, ac Vulgarium, unius hominis uice supputas? Finge solum Athanasium hoc dixisse: an unius esset leuis autoritas? Quod si numero suffragiorum pondus accedit: hanc opinionem nemo non sequitur, uno excepto Hieronymo, quanq̄ & ipse sequitur, uidelicet locum hunc subinde adducens iuxta æditionē septuaginta. Tandem descendis ad illud, quod proposita prius disputationis meæ summa, statim in initio labefactatum oportuit. Proinde mihi uidetur, inquam, illud paulominus, quod græce est βραχύτι, non ad dignitatis imminutæ modum esse referendum, sed ad temporis modum, quo uersatus est CHRISTVS in terris, quasi dicas, ad breue tempus diminutus est ab angelis. Huc uidelicet tendebat disputationis meæ summa, ut docerem βραχύτι, quod interpret reddidit paulominus, nō ad humiliationis, sed ad temporis modum esse referendum. Id si tu non uidebas, quid cærius? Sin uidebas, & dissimulabas, quid impudentius? Nam operæ precium fuerit aliquantisper repetere, quibus rationibus superius mecum egeris. Nam ingenue colligitur inquis, Filius hominis imminutus est infra abiectissimos etiam homines, & abiectissimi homines

Annotatio
nis Erasmi
cæ summa

mines imminuti sunt multū ab angelis: igit' & filius hominis multo fortius imminutus est ab angelis, Si multū, non igitur parum (sunt enim hæc pugnancia) quod nihilominus iuxta aduersantis sententiam intendit Propheta. Nam iuxta septuaginta æditionē ait, Minuisti eum paulominus ab angelis, quam etiam approbat interpretationem. Et si multū imminutus ab angelis, tanto fortius multum à deo. Subruetur igitur Propheta, quomodocunq; siue à deo, siue ab angelis interpretemur. Quare hic sermo seipm elidit, & falsum esse omni ex parte manifestat. Hactenus tua recensuimus, in quibus ut negligā sermonis ineptias, & prodigiosam balbutiem: cogor non dialecticen modo, in cuius studio per omnem uitam tibi sudatum est, uerumetiam sensum cōmunem desyderare. Ego colligebam CHRISTVM non parum fuisse diminutū, sed paulisper, hoc est multū, sed ad breue tēpus: atq; ita lectionem utrāq; cōstare, siue legas à deo, siue ab angelis. Tu ex his nouo syllogismo ratiocinaris, me sensum ppheta subruisse, utrocunq; modo legatur. Quis non miretur acumen istud plusq; Chryssippeū? Quis effugiat *κεράτιον τουτο* vi intento cornu utrinq; minantem? Quis non fateatur istam operam tot annis in dialectices studium pulchre tibi collocatam? Talibus argumētis doces amicum impie locutum. Ob istam disputationem deum è cælo de uocabas: ob eandem omnis lucis infusori gratias agis, in sæcula

Fabri diale
ctica inces
situr.

in sæcula sæculorum. Hic iterū atq; iterum appello con-
 scientiam tuam mi Faber, cum hæc tecum recognoscis,
 ecquid tui te pudet? Si ista serio scripta sunt, nō dicam,
 ubi est tua philosophia, cuius fortasse me rudē putas,
 sed, ubi mens hominis? Sin ioco, dic mihi p̄ gratias, sic/
 cine ludis in amicum? Si ex animo ad istum ratiocina-
 ris modū, qd fingi potest delirātius? Si me derides, ubi
 est illa nostra p̄amica amicitia? Nō eadē, opinor, decēt
 Fabrum, & circulatorum. Vsq; adeo nihil referre putas,
 quid chartis tuis illinas? Vsq; adeo male sentis de hu-
 ius sæculi ingenijs, ut istas ineptias uel ferant, uel non
 sentiant? Quis hic non fatebitur optimo iure tua uer-
 ba in teipsum retorquenda? Quare hic sermo seipsum
 elidit, & falsum esse omni ex parte manifestat? Verū in-
 terim hoc meo iure nolim uti. Mihi sat est te tibi osten-
 disse, ne pergas posthac ad eundem nugari modum: si
 tamen hoc nugari est, huiusmodi uerborum præstigijs
 amicum impietatis accusare, & prophetici sensus facere
 subuersorem. Quid autem tibi uis, cum ais, iuxta aduer-
 santis, hoc est, meam sententiam, Prophetam in hisce
 uerbis, Minuisti eum paulominus ab angelis, sensisse
 CHRISTVM multum ab angelis fuisse diminutū, cum
 palam eloquar sensisse, ad breue tempus fuisse diminu-
 tū: porrò multū an parum fuerit imminutus, nō hic
 agebatur. Neq; rursus simpliciter tibi donarim, quod
 tu ceu confessum assumis, abiectissimos homines infra

k angelos

angelos multū esse diminutos. Nam fieri potest, ut abiectissimus homo: ut hic accipio abiectissimū, sit aliqua ratione maior angelis. Iā ipse finē facturū erā refellendi, si tu impetendi finem facere posses. Quasi haecenus parum ineptieris, pergis, ac subiicis. Et non minus eadem ratione propriae assertioni aduersatur, id quod subnectit hoc modo. Ne ab angelis quidē paululum fuit imminutus, qui usq; ad famem ac sitim, usq; ad flagra, ad crucem, usq; ad mortem deniq; descenderit, Si nō ab angelis paulum quidem fuit diminutus: quomodo approbatur in Propheta legendum esse, Minuisti eum paulominus ab angelis: pugnant ne paulominus & non paulominus, paululum & nō paululum? Ut hic gestis, ut exultas, ut tibi places? Quam ridiculū te ipsum praebes, dum me derides? Quis negat paulū & non paulum inter se pugnare? Istuc opinor non uiddisses, nisi tot annos uersatus esses in Aristotele, quod uel caeco, ut aiunt, sit perspicuum. Atqui non pugnant, alicubi paululum & multum. Non pugnant diu, & nō multum. Neq; enim haec coniungo, CHRISTVS paululum fuit diminutus, & nō paululum fuit diminutus: sed CHRISTVS multum fuit diminutus ab angelis, at non diu. Aut CHRISTVS paulisper fuit imminutus pra angelis, at non paululum. Hoc erat tibi refellendū, priusq; istam inires ouationem, ne quis graecum illud posset obijcere πρὸ τῆς νικῆς ἑγκώμιον. At tu pinde quasi tibi

tibi debellatum esset, incipis lasciuire faceris, homo festiuus ac falsus. Verum id, inquis, libens tribuerim, filium hominis non paulum fuisse diminutum ab angelis, quãdoquidẽ ab angelis nullo pacto diminut⁹ fuit. At non sentis interim, dum maxime negare uis filium hominis fuisse diminutũ ab angelis, te fateri diminutũ ab angelis. Si dixisses, filius hominis non fuit diminutus paulum ab angelis, fortasse consistere poterat, non omnino fuisse diminutũ. Verũ cum ais, nõ paulum diminutus est, propositionem reddis affirmatiuã, quod negatio non, nihil agat in prædicatum diminutus est, sed in aduerbiũ paulum. Neq; enim refert hic, quo loco sit negatio, sed quo referatur. Quod si contendis ad utrũq; referri, reclamabunt tibi omnes, qui latine intelligunt: nisi forte cum dico, Petrus nõ parũ te amat, accipi possit, te nec multũ, nec parum à Petro diligi: aut si dicam, Hic non multũ dedit, accipi queat, nihil dedisse. Secus esset si diceres, CHRISTVS ne paululũ quidem fuit imminutus. Negares enim ullo modo fuisse imminutum. Vides q̃ circumspectũ esse oporteat, qui paret alterum irridere: multo magis, qui paret impietatis criminari. Verum his tricis omissis, redeamus ad id quod sero tandem incipis conuellere: quod scripseram *βραχύτι* ad temporis modum esse referendum, quo CHRISTVS uersatus est in terris usq; ad resurrectionem. Ac primũ uide mi Faber, q̃ nec hic quicq; asseuerẽ, sed ue

luti tentans, ac uestigās loquar. Proinde mihi uidetur, inq̄. Quā opinionē (ut dixi) demiror cur tantopere putaris impugnandā, cum adeo nō officiat tuæ sententiæ, ut adiuuet etiam: nisi forte libuit tibi tota hac disputatione nusq̄ à me non dissentire. Siquidem ut iam eueris legendum esse, paulominus à deo, nō ab angelis, altera te circūstat difficultas, & nihilo secius in uado hæres: quomodo paulū descēdisse dici queat, qui deus ad humanā naturam, & ad humanæ naturæ iniurias: & si mauis Hilarij uerbū, cōtumelias descēderit. Quæ difficultas, si tibi nō est animaduersa, ac umē istud tuū solitum in te desydero. Si dissimulas, ingenuitatē requiro. Impius tibi uideor, si scrupum hūc indico, si excutiendū propono? Qui nisi tollitur, nec tua stabit interpretatio. Tot testibus, tot argumētis docui, non paulū, sed multum fuisse diminutum. At finge me præsidij omnibus nudatum, uno tantū telo tecum agere, quod ipse Paulus mihi porrigit, dicens: exinaniuit semetipsum. Quo te uertes? qua techna elaberis? An sic interpretaberis, exinaniuit, id est, paululum quiddam humiliavit. At quis istam interpretationem non statim explodat, exhibilet, & tota Anticyra dignam iudicet, si quicq̄ omīno dignum Anticyra. Perinde quasi sermonem hūc, uoluptas extinguit animi uigorem: sic interpretetur aliquis, uoluptas paululū minuit animi uigorē. Aut si quis internicionē exercitus, paucorū interitum exponat. Quid sonet

Pro Fabro
difficulta/
tem aperit.

*Anticyra dubita est
quando infra un. hōr. h. uoluc
tam sunt, Anticyro, exre
scribunt. Et etiā ciuitas*

sonet exinanire, latinis satis est cognitū. Quintus Curtius usurpauit pro exhaurire. At Paulo dictum est ἐκέκωσεν, id est inaniuit, & ut ita loquar, in nihilū redegit, ut nullo uerbo magis potuerit summam CHRISTI humiliationem attollere, & diminutionis hyperbolen exprimere. Tu contra laboras, ut quā minimū fuerit humiliatus, καὶ παντοῖος γεόμενος quicquid insignem humiliationem sonat, ad hominū impiorum existimationem detorques. Ego contra, ut exemplum humilitatis in CHRISTO insigne esse uolo, sic uerissimū fuisse concedo. Quāquā nihil erat, cur in his angustijs ipse te torques, si nostrū βραχύτι sequi, quā calumniari maluisses. Si quidem iste qui te urgebat, nodus propemodum explicatur hac mea, imo ueterum Græcorū interpretatione. Atque hic Græcorum simul, & Hebræorū præsidijs me aggredieris. De Hebræis mox uidebimus. Interim quod à Græcis adfers aduersus opinionem meam, cuiusmodi sit dispiciamus. Nō crediderim, inquis, nam βραχύτι apud Græcos, & linguæ quidē peritos Græcos nō temporis, sed potius dignitatis, æstimationisquē modum dicit. Eustathius enim id Homericum exponens

Iliados δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα αἶτ,

εἰ γὰρ περὶ τοῦ τάλαντου ἄν' ἑλλήνων ἔστι, βραχύτι ἐστὶ.

Atque hac autoritate satis existimas probatum, βραχύτι Græcis ad tempus referri non posse. Primū illud mihi subridiculū uidetur, te ad Eustathiū Homeri interpre-

Eustathi^o
a Fabro cí-
tatur.

k 3

tem con-

tem confugere, quo doceas βραχῡ pro pusillo poni, cum id ex quibusuis autoribus demonstrare sit promptissimum. Nec enim opinor, id abs te factum ambitiosius, ne uidelicet nesciremus te in Homeri Rhapsodijs uersari. Atqui Eustathius ut Homeri interpres legitur, ut nō autor recte loquendi: perinde quasi ego, docere uolens latine dici, fregit nauim: exemplum proferam è Beroaldi cōmentarijs, potiusquàm è Cicerone, aut Terentio. Quanquā quid omnino erat necesse probare, quod nemo nequē nescit, nequē negat. Quanquā ut obiter excusam accusantem: suspicor istud non lectum tibi, sed aliunde ex annotamentis sublectum. Sed qui cōsequitur βραχῡ siue pusillum, si quando ad æstimationē pertineat, nō posse idem ad tempus, aut aliud quiduis accommodari: ut si recte dicetur, paululum nummorum, nō possit recte dici, paululum temporis. Aut si latine dicamus, breuem uestem, non possit latine dici, breuem diem: sic enī tu ratiocinaris, qui me paulo post in Anticyras mittis, quod tibi parum dialectice colligere quiddam uideor: qua de re suo dicetur loco. Ego nec hic, nec usquē imitabor, quod à Christiana modestia uideatur alienū. Tantum hoc loco dialecticam istam desydero, quam tu annis (ni fallor) plus uiginti, uel didicisti, uel docuisti, desydero mathematicum acumen. Et uide obsecro te charissime Faber, quo te calor iste disputatiōis abripuerit: Doces nos διδασκαλικῶς ceu sumpta ferula græce loquar & leges

& leges nouas præscribens ais, si tempus significandum sit, potius dicendum ἐπὶ ὀλίγου. Si enim ferè loqui philosophos, aut μικρόν: quod etiam in euangelio temporì accomodatur. Vt ne cauiller, quod philosophos recte loquendi autores facis. Quis negat μικρόν & ὀλίγον temporis moram significare, si χρόνον uel addas, uel subaudias? Sed eadem aurum, aut agrum: aut si mauis, a sinũ significabunt, si quid horum uel addas, uel subaudias. Quæso te, quid dicturi sunt eruditi, grauesq; uiri, qui hæc in tuis libris legerint: præsertim eo in loco, quo amicum impietatis reum facis? Quæ nam, quos ronchos, quas sannas tollēt, quidam, qui solent & bene dicta calūniari? Siquid huiusmodi priuatim ad me scripsisses, cælassem honoris tui gratia: nũc ceu rem lectu dignam & tibi gloriæ futurã, studio uulgasti. Nec his cõtentus pergis, & ais, septuaginta si tẽpus intelligi uoluissent, dicturos fuisse ἡλάττωσα ταχύ, quod ταχύ sonet paruã ταχύ moram. Quid ego audio? qui senserit aliquẽ hominẽ ad breue tempus uixisse, græce dicet ταχύ ἐξῆσεν, hoc est cito uixit: an potius, cito mortuus est? Sic enim tu uertendum putas, Minuisti eũ cito ab angelis. Pudet horum mi Faber, ita me deus amet, uel tuo nomine, & utinam in istam arenam, quæ proprie, ut dixi, tua non est: aut non descenderes tam libenter: aut non tantopere immorareris, fortassis in rebus maiorib⁹ felicior. Fac Eustathium docuisse βραχύ ad tempus non pertinere, id quod

Eustathij. id quod non docuit: num existimas Athanasium, aut
 nec Atha- Chrysoctomum minus calluisse græce, q̄ Eustathium?
 nasio, nec uiros uel usq; ad eloquentiæ græcanicæ miraculum ce-
 Chrysocto- lebres? Ego nihil dubitem horum utrumuis uel tribus
 mo confe- Eustathijs opponere. Age, quid si tibi profero locū ex
 rendus. ipso Luca, ubi palam βραχύτι ad tempus refertur: num
 erit etiā quod tergiuerferis? En ipsum accipe sic loquen-
 tem in actis Apostolicis capi. quinto. ἐκέλευσε μὲν ἔξω βρα-
 χύτι τοὺς ἀποστόλους ποῖσαι. Num hic putabis ita uer-
 tendum, Iussit foras Apostolos paulominus aliquid fa-
 cere? Nihil hic prætexi potest, quin βραχύτι ad breue
 temporis spatium pertineat, in quem sensum uetus in-
 terpres trāstulit, & nos uertimus. Iussit ut paulisper se-
 cederent foras Apostoli. Nec ipse sensus patitur aliō
 detorqueri, q̄ ad tempus. I nunc, & præcipe nobis βρα-
 χύτι Græcis ad tempus referri non posse. Septuaginta
 in eum sensum nō usurpasse, Athanasium, Chrysocto-
 mum, Vulgarium, Augustinum, atq; ipsum adeo Hie-
 ronymū: nam hac quidem in parte nobiscum facit βρα-
 χύτι perperā ad tempus retulisse. Vides optime Faber,
 quanto consultius sit aliquoties prudēter dubitare, q̄
 fortiter asseuerare, quam in partem tu mihi nonnunq̄
 aliquanto uidere uehemētior, plus satis abhorrens ab
 Academicis. Atq; idem Lucas, qui sine cōtrouersia scri-
 psit acta, nonnullis creditus est huius interpretis episto-
 læ. Quid quod hoc ipso in loco Paulus satis indicat se
 de tempo-

de temporis modo sensisse, cum subiicit: Eum autē qui modicū q̄ angeli minoratus est, uidemus IESVM, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. Quod homo esse cepit, nunc q̄ esse desijt, atqui cito desijt esse mortalis. An tibi paululū diminui uidetur, qui usq; ad supplicium mortis descendit: quod si nec tu dicis, ut opinor, quo tandem referes βραχυῦτι, nisi ad tempus, quo tot, tantiq; Græci scriptores retulerunt: Neq; enim tibi magnopere profuerit hæc uerba propter passionem mortis in tua translatione è suo loco in alium transtulisse, ne possent ad suum referri participium. Sic em̄ tu legis. Videmus tamen IESVM, qui paulominus à deo minoratus est, gloria & honore coronatum, propter passionē mortis. Nihil enim non torques: nullum non moues lapidem, quo filiam istam tuā, nouam opinionem, tuearis. Atqui uide ne tuus partus tibi plus satisficiat. Quid quod etiā uelut Aristarchus quisp̄iam loquendi regulam nobis præscribis, si Musis placet. Caterum inquis, cum uocabula multum, & parū, & similia iunguntur uocabulis, auctiōnem, diminutionēue designantibus, nequa q̄ significare solent tempus. Hic autē paulominus iungitur uocabulo minuiisti, quod imminutionē significat: secus autem esset, si iungeretur particulæ designanti tempus. Quod ego audio enthymema: Solœcismus igit̄ erit, si dixerō: Extulisti me paulisper tuis laudibus: Quā q̄ ingenue fateor
 I latinis

latinis quædã peculiariter ad tempus pertinere: quod genus sunt paulisper, aliquantisper: alia nõ item, ut multum, parum, nisi tempus addas. Atqui non est eadem apud Græcos distinctio: & sicuti nobis addendũ est tẽporis uocabulũ, ita Græcis sæpenumero apponitur: frequẽter etiã subauditur: quod nos quoq; nõnunq; imitatur, ita loquentes, breui ueniã, nimirũ tẽpore: nõ qđ hoc factum uelim in præsentis loco ἡλλάτῳσας αὐτὸν βραχύτι, sed quod existimem nomen neutri generis aduerbiũ uice positũ eodem modo, sicut paulo ante ex ipsius Pauli uerbis docuimus. Iam quod ex Hebræorum auctoritate producis, paucis excutiamus. Locos aliquot citas ex Hebræorum libris: in quibus Meat non ad temporis modum, sed ad aliud quippiã referatur. Ingenuè fateor me in hisce literis, iudicem esse non posse: neque te puto eò progressum, ut postules nos hac in re auctoritati tuæ cedere, nec Hebræi nescio cuius, quẽ nobis obijcis, tam grauis est apud nos auctoritas, ut nefas sit ab eo dissentire: & tu tot locis pductis, tantũ doces Meat aliquando ad aliud, q̃ ad tempus pertinere: at non doces ad tempus pertinere non posse. Neq; mirum sit aut nouum, uocem ad multa cõmunem, ad alia quoq; non nunq; referri, q̃ ad unũ aliquod. Quid si quis tibi pferat locũ, ubi palã ad tẽpus refertur: qđ facies tuæ nouæ regulæ, En tibi psal. trigesimo sexto, & adhuc pusillũ, & non erit peccator: Hebræis est Meat, nec potest accipi secus

meo sig. fo. inc. 8. f. inc.

secus quæ de breuitate temporis. Item psal. ceteresimo octauo, fiat dies pauci: pro pauci Hebræis est Meatim. An negabis hic Mea ad breuitatem temporis pertinere? Rursus psal. secundo, uertit etiam Hieronymus ad modum temporis, cum exarserit in breui ira eius. An non Hebræis est Kimeat? Nec dubito quin triginta loca possint colligi, si cui uestigandi non desit otium, quum hæc è psalmis duntaxat occurrerunt: Nam is liber hebraice excusus, mihi forte tueraderat, quanquam ad labefactandam præceptionem tuam uel unus sufficere possit locus. Quod si conuenit tam anxie disputare de uerbis, quæredum erat, quid latinis sonaret paulominus: profecto nihil aliud quam prope, aut propemodum. Sic enim usurpauit Suetonius in Nerone: Talem principem paulominus quatuordecim annos perpeffus, terrarum orbis tandem destituit. Ac rursus in Tiberio. Et cito mortem etiam obiturus, quod paulominus euenit. Iterum in eodem, uerum liberatus metu, ciuilem admodum inter initia, ac paulominus priuatum egit. Vides auctori tam graui paulominus nihil aliud esse quam pene: & consimili figura Apuleius dixit minimo minus, pro penissime. Quomodo Græci dicunt *μικρόν* δὲν, cum paululum abesse significant, quo minus fiat aliquid. Cum sis tantus sermonis, Græci & Hebræi Aristarchus, ut loquendi leges præscribas mundo, cum sic offenderis uoculis, ut his CHRISTVM deiici dicas: demiror hanc uocem in tua interpretatione tibi non esse

| 2 mutata

Paulomi/
nus.

mutatam. Cum omnē sensum Prophetæ inuertat, nisi forte idem sonant penè diminui, & paulum diminui. Cum hic aliquātulum intelligatur diminutus, illic intelligatur non fuisse diminutus, etiam si parum absuit, ut diminueretur. An forte quēadmodum Augustinus negat, Balaam diuinū ad asinæ sermonem obstupuisse, quod monstris assueuisset: ita nec tu istiusmodi sermonis portentis quicquid offenderis. Multa sciens prætereone bis molestus sim lectori, si res per se molestas, & inamœnas, proluxa disputatione reddidero molestiores: uelut illud, quod cum indico Thomam propemodum sensisse cum Chrysofomo, quod admoneat paulominus bifariam accipi posse: uel ut pertineat ad quantitatem, uel ut pertineat ad durationem: sic illum excusas, quasi ego hoc in illius odium adduxerim. Et ni suspicionem hanc excluderet mihi spectata synceritas tua, subolebat nō nihil cum hæc scriberes, tibi Thomistam aliquem in consilio fuisse, qui Thomam aliquāto ciuilius tractes, quæ Athanasium, aut Chrysofomū. Verum ut ad reliquas Apologiæ, hoc est criminatiōis tuæ partes respondeā. Ais à me scriptum. Sunt qui Lucam putent interpretem fuisse: quam opinionem si recipimus, is interpres in ius uocari non potest. Quid hic est mi Faber quod te offendit: an quod dixerim quosdam in hac fuisse opinionem: An nō id palam testat præfatio, quā in hanc epistolā habēt nostri codices: Eā ut donemus nō esse

esse Hieronymi: certe siue Bedæ est, siue Isidori, siue al-
 terius, apparet hominis esse nō omnino indocti, & pu-
 blico Christianorum usu comprobatur. Ne interim ex
 alijs argumenta proferam, Atqui cum incertus sit inter-
 pres: qua fretus autoritate tanto supercilio pronuncias
 non esse Lucam? An quia secutus est æditionē septua-
 ginta? Quid mirum, si hoc faciat Lucas interpres, cum
 idem aliquoties faciat Paulus & in alijs epistolis, in qui-
 bus ipse sui interpres est? Et tamen feci tibi liberū, utrū
 eam opinionem recipere uelles, an non? Quod si non
 recipis, nihil est quod mecum litiges. Certe uerum est,
 Si ea uera est opinio interpretē in ius non esse uocan-
 dum, nisi forte Lucam in ius trahendū putas. Et tamen
 subiicis. Caterum non oportet hic autoritatē scriben-
 tis quicumq; is fuerit, sed ueritatem facere uictoriā. Ex
 animo ne Faber optime, tibi dicuntur ista, an ioco? Qui-
 cūq; fuerit autor, aut interpres huius epistolæ, nihil ne
 habebit momenti autoritas, ne si Paulus quidem ipse
 fuerit, aut interpres Lucas? quid hic senseris, ipse uide-
 ris: certe nulli obscurum esse potest, quid his uerbis ex-
 prefferis. Verū hic nō urgebo te tuis dictis, quādo satis
 coniecto, te sensisse non magnopere referre quis fuerit
 interpres, cum tibi constat Lucam non fuisse. Post
 hæc illud exagitas, quod ex annotationibus eorū, qui
 literas Hebraicas profitentur, indicarim Eloim apud il-
 los utroq; numero poni, tum *πολύσημοι* esse uocē. Idq;
 I 3 tibi

tibi nō omnino displicebat, cum scriberes in hunc psalmum. Quandoquidem pluralitatem numeri trahis ad tres personas, patrem, filium, & spiritū sanctum. Hanc uero nouam regulam, quam opinor Hebræus aliquis suppeditauit, nec approbo, nec refello. Certe nullus Hebræorum negat El proprium esse deo: Eloim nūc poni pro El, nunc pro deo, adiuncta quasi consocio. Sicut in condendo mundo, Faciamus, inquit, hominem: Nunc pro angelis, nūc pro primatibus, aut iudicibus: nūc pro dñs: & hoc tantum uoluit interesse inter Eloim, & Malachim, quod Malachim dicatur angeli, quoties ad functionem aliquam mittuntur, Eloim quoties dignitas & eminentia declaratur. Ais autem septuaginta, quoties Eloim usurpatur absq; nota pluralitatis, semp uertisse deū. Id si uerū est, & hoc loco uertissent deū, cū absit ea nota, quē admodum ais: certe nomino, quē hic sim secutus, & cui tu quoq; ni fallor, plurimū tribuis. Atq; is eadem docet in operis nuper æditi libro tertio, citatis aliquot diuinæ scripturæ testimonijs. Vide uero ut uere tu⁹ sermo sese elidat, Ais septuaginta sic ubiq; uertisse, & hic fatere secus uertisse, p̄inde ac si dicas, cygnū totū esse candidū, & idē fatearis cygnū rostro esse nigro. Mirū uero nō esset, si nos pingues, in huiusmodi subtilitatibus laberemur. Te tantū dialecticū sic hallucinari mirum est: præsertim, cū huiusmodi erratula in amici scriptis rigidus censor insecteris. Mihi igitur probabile est

septuaginta

septuaginta uidisse, & hic Eloim posse numero multi-
 tudinis accipi: attamen quoniam deum nō sunt ausi di-
 cere, nec uisum est ponere deos, angelos uerterunt. Ex/
 istimo nihil à me prætermisum, quod nō diluerim ar-
 gumentis clarissimis, & in quo non tibi quoq; satisfice-
 rim. Verum quoniam omnis disputatio tua carebat or-
 dine, quod singulas annotationis meæ partes ut incide-
 bant cōuelleres, & mihi necesse fuit in respōdendo tuū
 ordinem sequi, fortassis lectori sermo uidebitur confu-
 sior: & ob id parum dilucidus, non alienum fuerit, ceu
 per epilogum rei totius summam in compendium tra-
 here. Primum igitur demonstratum est, de summa rei
 mihi tecum nullam esse controuersiam: imo dum me/
 cum pugnas, te tibi ipsi aduersari. Recenseo duplicem
 lectionem: quarū utraq; tantis nititur autoribus, ut nō
 putarim hanc aut illam contumeliose repudiandam, &
 aliās quoq; probe utranq; consistere. Si modo Eloim
 Hebræis utriusque numeri est, & modo deum, modo
 deos, modo iudices, modo angelos sonat, quemadmo-
 dum annotatum est ab ijs, qui literas Hebraicas profi-
 tentur. Quanquam id partim annotatum est, & à ma-
 gistro sententiarum, ut uocant, libro primo, distinctio-
 ne tertia, si forsitan huius autoritas te magis cōmouet.
 Nam quod tu tantopere demiraris, cum Eloim bis cen-
 ties septuagies quinquies, ac rursus bis centies septua-
 gies quater positum reperiaturo numero singulari: qua
 fronte

Sūma ne/
 gocij inter
 Fabrum &
 Erasmm.

fronte quis audeat posthac numero multitudinis acci-
pere: uicissim ipse demiror, qua fronte tu audeas ista
præcipere. Quid enim uetat sic alicubi usurpari, etiam
si bis milies aliter sit usurpatum? Nisi forte quia puer
in literis diuinis plus sexcenties ætatem significat, nefas
esse ducis eandem uocem pro famulo usurpare? Neque
minus friuolum est, quod addis de particula Col, quæ
nisi accesserit, negas Eloim plurali numero posse intelli-
gi, quod ea locis aliquot addatur. Atqui, in eo psalmo-
rum loco, quem ipse CHRISTVS adducit apud Ioan-
nem, Ego dixi dñ estis, numero multitudinis uertit etiã
Hieronymus, & tamẽ Col abest, hac certe in parte. Rur-
sum, deus stetit in synagoga deorũ. Item, dñ fortes ter-
ræ uehementer eleuati sunt. Iterum, abijcite deos alie-
nos. Sed quid ego hæc? Toties legis in ueteri testamen-
to deos, nec apponitur tuum illud Col, quam tu uis ita
pluralitatis esse notã, ut ni adijciatur, merito in ius tra-
hendus sit, qui Eloim secus uerterit quã deũ. Perspicuũ
igitur est hæc quæ adducis, haud scio quẽ: sed non opti-
mum autorem secutus, quisquis fuit, nihil obstare quo
minus hoc loco Eloim numero multitudinis accipiat,
& aliud sonet quã deum. Cæterum quoniam obstabat
in utraq; lectione, aduerbium paulominus siue paulu-
lum: magis autem in ea quã tu solam uis esse: quod ut
donemus nõ multũ esse interualli, inter angelicã natu-
ram, & corpus mortale: tamen fatendum est, inter diui-
nam

nam naturam assumptam, & humanam assumptam, immensum esse discrimen: nec potest CHRISTVS minor patre dici, nisi iuxta harum inter se comparatione: eam difficultatem amolior, interpretans paulominus pro, ad breue tempus, ut plurimum diminutus intelligatur: sed paulisper, maxime, si diminutionem, siue humiliationem susceptis uitæ nostræ malis metiamur: quod facit Ambrosius, & mihi magis probatur. Porro *ἡσυχία* ad temporis modum referri posse, tametsi per se liquebat græcæ linguæ gnaris, ex ipso Luca docui. Imo ex ipso Paulo, atq; adeo ex hac ipsa epistola docui, si tibi leuis est Chrysostomi, cæterorūq; Græcorū autoritas. Atq; hæcenus quidē quæ inter nos uersantur, ad summam causæ pertinent: cætera aut de tuo addidisti, aut arripuisti ex his, quæ obiter à me in ipso disputationis cursu sunt dicta, uel augendæ rei, uel fulciendæ gratia. Quorū illud erat præcipuū, quod adiecerā CHRISTVM & infra abiectissimos homines fuisse diminutum. In quibus uerbis adeo nihil est, quod CHRISTO sit indignum, ut magnopere hic sermo faciat ad CHRISTI gloriam, ad Pauli mentem, cui dictus est exinanitus: ad Prophetarum oracula, quibus uermis & nō homo dictus est: ad nostram salutem, quibus expediebat humilitatis exemplum quæ maxime insigne, minimèq; fictum exhiberi, per eū qui ipsa est ueritas: præsertim cum huiusmodi exaggeratio humiliationis, nihil officiat illius

m ciat illius

ciat illius celsitudini: quod ut idem mortalis & immortalis, afflictissimus & felicissimus dici potuit, ita summus & infimus dici potuit, diuersa ratione: nimirum ob diuersissimas naturas in eadem hypostasi unitas: & maxime ob summos cruciatus, quos supra mortales omnes in se recepit: ad quos ego sane iuxta diui Ambrosij sententiam, quæ de CHRISTO exinanito dicuntur referri malim, quæ ad naturam assumptam: propterea quod si hæc ad carnem assumptam simpliciter referantur, cum & hodie CHRISTVS homo sit, iuxta hæc rationem dici possit in immensum à deo diminutus. Quæ cum ita habeant, nemini potest obscurum esse, contumelias quibus me petis, cum ais & hunc sermonem, uidelicet indicans cæteros eiusdem esse notæ, CHRISTO, deo quæ indignissimum, Literæ quæ occidit adhaerentem, Spiritui qui uiuificat aduersantem, Subuertentem Prophetæ intelligentiam, deicientem CHRISTVM unam cum impijs Iudæis, aliasque id genus, neque dignas esse, quæ abs te dicerentur, neque quæ in me dicerentur: nec admodum sapere mitissimum illum CHRISTI spiritum, qui uiuificat, non lancinat, & medetur erroribus humanis, non laceat, pie & ex orthodoxorum patrum sententia loquentem, iam quod ea quæ in Prophetis literis eximiam CHRISTI humiliationem declarant, partim ad impiorum hominum opinionem detorques, partim nobis accommodas, tum idoneis argumentis, tum grauissimis autoribus docuimus

docuimus

docuimus uere in ipsum CHRISTVM competere. Deinde quæ uerbosissime persequeris de dignitate CHRISTI, demonstratum est nihil obstare, summæ eiusdem humiliationi. Neq; enim ideo CHRISTVS nō aliqua ratione minor angelis fuit, quod ab angelis iubet adorari: ut nec ideo nulla ratione parentibus ipse fuit superior, quod eis subditus fuisse dicitur, apud Lucā euangelistam. Quod si ideo non potest aliquo pacto angelis inferior dici, quod nullus angelorum excitarit mortuos, sanarit ægrotos: ut interim taceam & per angelos ædita fuisse miracula, cōsequetur CHRISTVM discipulis suis fuisse minorē, quod ut ipse facturos testatur, maiora his fecerint. Etenim quod adijcis de autoritate, CHRISTVS quoq; suorum operū autoritatem patri trāsscribit: Opera patris mei facio, ut mādauit mihi pater sic facio: & sermo quē audistis nō est meus, sed eius qui misit me patris: & mea doctrina non est mea. Rursum quod negas CHRISTVM dici creaturam, etiam si nusq; à me dictus est, declarauit summis uiris fuisse dictum creaturam. Itidem quod æqualitatis proportionem asseris in CHRISTO, & ob id uermē dici non posse: euici in eodem, & alteram esse proportionem, iuxta quā nō à me, sed à Propheta dictus sit uermis. Etenim quod uelut absurdissimū colligebas, Cherubim quoq; ad deum collatos, uermes dici posse: nihil equidem repugnarim, præsertim si hoc nominis illi tribuant Pro-

Adoratus
ab angelis
Christus,
licet dimi-
nutus.

Faber non
uult Chri/
stum p al/
tera natura
capi posse.

phetarum libri. Quanc̄ huiusmodi permulta in ipso
disputationis cursu dissimulaui, quod genus illud cru-
ciatus corporis tantos esse posse, ut nō queant inueniri
maiores. Quantūuis exaggeres corporis cruciat⁹: certe
acerbiores reddētur, si paribus animi cruciatibus cōdu-
plicentur. Porro quod uehemēter execraberis hyposta-
seos nomina pro altera natura accipi. Primum docui
istud nusq̄ à me factum, nisi quod tu huc mea detor-
ques, ac deprauas: quod etiam sicubi fecissem, ueterum
orthodoxorū exemplo facturum fuisse. Nisi forte cum
diuus Augustinus libro de Trinitate secundo, capi. se-
xto, scribit hunc in modum: quia non sic est assumpta
creatura, in qua apparet spiritus sanctus, sicut assum-
ptus est filius hominis: non accipit filium hominis pro
altera natura. Quanc̄ obiter & illud ostēdi, tutius esse
hypostaseos uocabula p altera natura accipi, q̄ quod
tu uis, pro utraq;: nimirum pro diuina humanæ unita,
licet duas naturas significēt. Ex superuacuo probatum
est hoc quoq;: nō solum de singulis naturis, uerū etiam
de quauis trium in CHRISTO substantiarum siue re-
rum, aliquoties posse enūciari, quod idem per hyposta-
seos uocabulum de CHRISTO possit enunciari. Arbi-
tror ex his liquere, q̄ tu non fatiffeceris, cum abunde fa-
tiffecisse tibi uidearis p syllogismos, in quibus abunde
multum est conuiciorū, efficacium argumentorū nihil.
Sed reliqua persequamur. Iam in his quæ sequuntur,
sic urges

sic urges nos, ac premis, ut necesse habeā fateri, cautius
 ac circumspectius fuisse loquendum, si iudices tam ini-
 quos eram sortiturus. Sed imposuit mihi, primū argu-
 mentum humiliter annotationū: & in hoc genere uete-
 ribus semper usurpata libertas, non expectabam tam
 oculatum & iniquū cauillatorem. Arbitrabar hæc non
 lecturos, nisi mei similes. Verum ut simplicitatis crimē
 agnosco, ita amentiam quam impingis deprecor. Pri-
 mum enim in ea sum sentētia, ut existimē eos cōmenta-
 rios nec esse Hieronymi, nec ab uno homine collectos.
 Cur, inquires, citas Hieronymi nomine? Aliquo titulo
 citandi erāt, & illic aliud agebatur, q̄ de illorum autore.
 Et scis Hieronymum Paulo tribuere huiusmodi quan-
 dam, ut ita dicam, uafriem, quod quædam ad suū tor-
 queat negocium: & nōnunq̄ apud illum pugnent uer-
 ba sacre scripturæ, quæ suis locis non pugnant. Quem
 admodum in epistola ad Titum Epimenidis propheta
 num dictum ad CHRISTI trahit negociū: & in Actis,
 quod Aratus de Ioue dixit, Paulus ad deum trahit: &
 ibidem prophanum & impium, curiæ titulum cōmuta-
 tis aliquot uerbis detorquet in argumētum fidei. Etem̄
 cum inscriptio sic haberet: Dñs Asiæ, & Europæ, Afri-
cæq̄, dñs ignotis & peregrinis: tamen is ita torquet, ut
 narret sibi cōspectam aram, quæ titulum haberet, igno-
 to deo, ut autor est Hieronym⁹, enarrās epistolā Pauli
 ad Titū. Neq̄ te fugit, opinor, q̄ ueteres fermē omnes
 m 3 sibi

uafriem
 Pauli.

ut

Act. 14. 5.

Proprie nō
tribuitur
Christo
psal. octa-
uus.

sibi indulgeāt in allegorijs: præsertim Ambrosius, Ori-
genes, & Hieronym⁹: in qbus labi negāt periculosum,
si modo ad pios mōres accommodentur. Et tamen ui-
de quanto aliò tu mea uerba detorques, atque ego sen-
si, atq; etiam explicui, si quis latine sciat. Non enim dixi
hæc nō competere in CHRISTVM, sed non uideri ad-
modū probari Hieronymo, quod proprie CHRISTO
tribuant. Tu ut apparet, proprie perinde ualere putas,
ac si dixissem uere. Ego sentio ea proprie tribui CHRI-
STO, quæ sic tribuantur, ut in neminem alium compe-
tant: neq; enim primus psalmus ideo non competit in
quemuis hominem pium, quod eum sacri doctores de
CHRISTO interpretētur. Quod ius si hic quoq; nobis
permittas, uerum fuerit, hæc proprie nō esse tribuenda
CHRISTO, quæ iuxta tropologiã & in cæteros homi-
nes competant. Nihil autem est mea quidem sententia
in eo psalmo, quod citra hæresim in omnes pios non
possit accōmodari. Videtur enim illic iuxta sensum infi-
mum, Propheta mirari singularem dei erga nos benefi-
centiam: qui cum sit excelsior cælis, tamen hominum in
terris agentium curam agat: tantòq; dignetur honore,
ut hominem uniuersis animantibus præferat: ad uer-
bum penè referens, quod est in Genesi: Replete terrã,
& subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & uola-
tilibus cæli, & uniuersis animantibus quæ mouētur su-
per terram, ac propemodum cælitibus æquauerit raris
animi

animi dotibus. Etenim cum ait, quid est homo, uidetur
 humilitatem humanæ conditionis intelligere. Cum ad
 dit, Minuisti illum paulum ab angelis, ostēdit quo sub
 uectus sit munere diuino. Nam quod nos interpreta-
 mur de homine diminuto, id illic apparet dictum in di
 uersum sensum. Minuisti eum paulominus ab angelis,
 hoc est penè illum æquasti angelis. Certe quod sequit̃:
 Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues uni
 uersas, insuper & pecora campi: uolucres &c. non uide
 tur in CHRISTVM pprie cōpetere, sed in nos potius.
 Quid enim magni si CHRISTVS præfectus sit pecudi
 bus, piscibus, & uolucris? Et uides interpretē episto
 læ ad Hebræos hucusq; adduxisse testimoniū psalmis:
 Omnia subiecisti sub pedibus eius, omīssis ihs, quæ nō
 æque commode faciebāt ad id quod tum agebat: & ab
 solutum fecisse, quod illic cōmemoratione sequenti ui
 detur astringi, oues & boues. Alioqui qui conuenit, ut
 sentiēs de imperio CHRISTI, quo regnat super omnē
 creaturam terrestrem ac cælestem, ea tantū nominatim
 recenseat, quæ sint infima pars imperij? Neq; uero me
 fugit hæc ad allegoriā trahi ab interpretibus: nec eam
 sanè reiicio, licet aliquanto coactiorem nimirum à co
 actis. Huiusmodi quippiā, cum id temporis cogitarē,
 & hoc agerem, ut omnia tentās, & uelut hostiatim pul
 sans lectori uariam cogitandi, cōmentandiq; materiā
 subministrarem: id quod annotatoris est officium, ui
 sum est

Aliqua potius indicanda quæ explicanda.

sum est hoc ciuilibiter indicare. Sunt enim quædam quæ magis indicanda sunt, quæ explicanda. Quod à uetustissimis Theologis factitatum uidemus, ac ne recetiores quidē, prorsus eadem loquuntur in scholis, & inter eruditos priuatim: aut si eadem dicunt, non eodem dicunt modo. Cæterum huiusmodi exagitare uerbis, & apud imperitum ac malignū uulgus traducere, mihi parum ciuile uidetur nedum amicū. Quod si sermonis habitū animaduertas, quo hæc loquor, facile apparet quærentis esse & tentantis, non asseuerantis. Videtur inquam non admodum probasse. Videntur quæ non sunt eius modi, sed tamen speciem aliquam præbent. Atque hoc quoque mitigo addens non admodum, hoc est non usque quaque. Sed inquires, ubi species ista, quæ faciat, ut hoc uideatur? Primū sic autorem nominat, ut pondus probationis in eum reijcere uideatur. Deinde quid magni est, si Paulus hunc locum super CHRISTO interpretetur, cum ipse Hieronymus totum eum psalmum ad CHRISTVM trahat? Id paucis ac cunctanter monui lectorem, ut excuteret, siquid illic esset excutiendum. Neque uero ulla dubitatio est, an hic psalmus in CHRISTVM competat, sed an proprie, hoc est in solū CHRISTVM competat: sic ut ad cæteros homines accommodari non possit, cum tamen totus ille psalmus iuxta cōmunē sensum ad humanum genus pertinere uideatur: cui deus subiecit, quicquid rerum aut animantiū terra producit, & tamen

& tamen animi diuinitate caelestia cōtemplatur. Certe
 diuus Augustinus sic de CHRISTO exponit, ut nobis
 etiam attemperet in CHRISTO renatis. Magnum ue
 ro piaculum, si id duobus uerbis lectorem admonitū
 esse uolui. Iam ut illud attingam obiter, Admiscens hu
 ius uersiculi interpretationē: quid est homo quod me
 mor es eius, aut filius hominis, quoniā uisitas eum. p̄f
 Ceterorum inquis hominum nō est nisi quaedam dei
 memoria, & ut sic dicam, absentia quaedam: quod id in
 sinuat, qd est homo quod memor es eius, Siquidē me
 moria absentiu est. Filij aut hominis, id est CHRISTI:
 iā uisitatio & praesentia uniois, & tātae qdē uniois, ut
 ea sit hypostatica, & q̄ nulla maior esse potest. Quod
 & id insinuat, aut fili⁹ hominis, quoniā uisitas eū: & hu
 iusmodi dei uisitatio, praesentia, unio, non hominē mi
 nuit, sed sic etiā eleuat sup omnia, ut paulo minutus sit
 à deo: & minui paulominus à deo, est super omnia alia
 exaltari, & omnia alia illi subiecta esse. In eo enim ait
 Apostolus, quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non
 subiectum ei, praeter eum qui subiecit ei omnia. Et de
 illa uisitatione, unione, & à diuinitate apprehensione,
 circa finem huius capituli subdit Apostolus: Nusq̄ em̄
 angelos apprehendit, sed semē Abrahæ apprehendit:
 quod quidem semen Abrahæ alio loco interpretatur,
 qui est CHRISTVS. Hactenus tua recensuimus, Pri
 mum quid sibi uult hic sermo, Ceterorum hominum
 n non est

n non est

Fabri Amphibologia.

non est nisi quædam dei memoria. Vtrum sentis homines esse memores dei, an deum esse memorẽ hominum? Deinde utrũ sentis homines absentes, an absentem deũ? Sed hac amphibologia periculosior est illa, quæ tibi superius excidit, cum ais: Verbũ & filius dei, diuinæ est cõditionis, eiusdemq; cũ deo naturæ. Nam creatura non est, perinde ac neq; deus. Vtrunq; em̃ potest accipi, deum patrem nõ esse creaturam, aut filium dei nõ esse deum. Ad hæc cum ais, filij hominis, id est CHRISTI esse uisitationem: utrum intelligis CHRISTVM uisitasse hominem, an uisitatum à deo? Quod si uisitationem appellas assumptionem humanæ naturæ: quomodo CHRISTVM dicis uisitatum? An quem admodum pie dicimus, deus assumpsit hominẽ: ita recte dicemus, deus assumpsit CHRISTVM? Atqui hic ipsissimus est sermo, ob quem paulo ante uapulabam abs te: non quod sic locutus sim, sed quod sic locutũ putaras. Rursus cum ais, non minuit hominem: nõne hominem, quod est hypostaseos uocabulum, pro humana accipit natura? quod ante fieri uetuisti. Ad hæc cum ais, de illa uisitatione, unione, & apprehensione à deo, demiror te in nostro sermone nodum, ut aiunt, in scyropo quærere, cũ tibi permittas sic balbutire de rebus ineffabilibus. Quis enim sic unq; locutus est apprehensio à deo, ne quid insecter intolerabilem ubiq; βαπτολογία. Præterea cum pergis, & ais, hac unione CHRISTVM paulum

Faber etiã hominem pro natura dixit.

paulum imminutū à deo, sed ita, ut exaltatus sit super
 omnia: si hoc erat exaltari super omnia, uisitari à deo, &
 uisitatus est, qui assumptione unītur: mox ut incarna-
 tum est uerbū, CHRISTVS exaltatus fuit super omnia.
 Vbi est igitur quod ait Paulus, IESVM paululum im-
 minutum à deo, & mox ob passionem gloria & hono-
 re coronatum? Atq; iterū: propter quod exaltauit illū
 deus, & dedit illi nomē &c. non ob natiuitatem, sed ob
 crucis supplicium exaltatum declarās. Insuper cum ais:
 apprehendit semen Abrahæ, qui est CHRISTVS: non
 ne uideris CHRISTVM apprehensum dicere? Opinor
 em̄ hic apprehendi tibi, nihil aliud esse q̄ assumi. Item
 quod sequitur: sed nec ullum alium hominū appren-
 dit, subaudis opinor, q̄ CHRISTVM. Perspicis, ut pu-
 to, quāta sit cauillandi materia, si quis tuo exēplo uelit
 cauillari. Quan̄q; Augustinus, unde istius interptatio-
 nis occasionē mutuatus es, nō ait CHRISTVM uisitatū
 à deo, sed ceu duos facit homines, ueterē peccatorē, cui⁹
 tamen meminerit deus: huc quoq; porrecta illius bene-
 ficentia, qua prospicit & brutis animātibus, ac nouū ad
 pietatē renascentē, atq; in hoc dicit hominis esse uisita-
 tionem. Hic quoque sciens ac prudens ad multa conui-
 ueo, ne quod coactus facio, uidear cupide facere. Sed
 iam planē iuxta Grecorum prouerbium, ἐπὶ τὰ μανδύα
 βούλου res nostræ procedūt, Nam crimen unū, aliud cri-
 men excipit, & semper grauius, Siquidē annotationis

meæ coronidem grauius oppugnas, in qua subieci: Et de autore eius adeo fuit dubitatum, ut sero recepta sit à Romana ecclesia: quandoquidē in hāc unam omniū nihil commētatus est Ambrosius: & Hieronymus ait à nonnullis non fuisse receptam, ob id quod in ea nonnulla recitarentur, quæ apud Hebræos non inueniantur. Hic uero trifariam me criminaris. Primū stultitiæ, qui hęc adiecerim, cum ad rem institutam nihil attinerent. Deinde uanitati, qui dixerim sero receptam, quæ semper fuerit recepta. Tertio inscititiæ, imo ut tu loqueris, insanitiæ: & tātā insanitiæ, ut totis Anticyris egeat, qd' irata dialectica ridicule collegerim: ideo sero fuisse receptā à Romanis, quod in hāc unam nihil sit cōmentatus Ambrosius. Verū ut ad singula paucis respōdeā. Si hęc coronis ad id quod agebat, nihil pertinebat: cur tu meā stultitiā imitari uoluisti, qui excutias quæ ad tuā causam nihil attineāt? Propositum erat tuam tueri sententiam, id iam absolueras, quorsum attinebat lōgius euehi? Nisi forte erat animus, meas annotationes omnes excutere. Finge me subito mihi excidisse, & superiorū omniū oblitum: atq; ut Græcis est in prouerbio, ab asino delapsus, repente in alio, quod aiunt, fuisse mūdo: quid istud ad tuam causam attinebat? Posteaq; euiceras quod uolebas, erat tuæ ciuilitatis hęc amiculi tui delirationem dissimulare, ac tegere, non sæuis uerbis exagitare, ac uoluminibus uulgatis traducere. Nullus est
fermè

fermè mortalium, cui id non aliquādo accidat. Nec de-
 erant causæ, quibus hoc ciuilitatis datū oportuit, etiā si
 nostra non postulasset amicitia. Vnus geminum nego-
 cium sustinebam: Hieronymi castigationē, & noui Te-
 stamenti, utrunq; difficillimū: res compluribus prælis
 accelerabatur, & ualitudinē meā nō ignoras. Miraban-
 tur illi me tantū potuisse scribere, quātum uel legisse la-
 boriosum fuisset. Mirabar ego uicissim illos è schædis
 notatis uerius q̄p̄ descriptis, posse quicq; excudere. Et
 uides me in ipso statim opere pollicitum, tumultuariæ
 æditionis recognitionem. Hæc certe iudicem æquiorē
 promerebantur: præsertim te tam amicū, siquid alicubi
 delirassem. Sed tamen ne me credas omnino delirasse:
 cum illa subiicerem, existimabam nonnihil ad rem per-
 tinere. Etenim proposita difficultate, quæ utrinq; urge-
 bat: tentabam exitum, si qua liceret, inuenire. Ac uide-
 bar aliquam ostendisse rimam, si demonstrassem ^{βραχύ}
 ad temporis modum pertinere. Quod si cui ista non
 satisfacerent, ne quid intentatum relinquerem: & illud
 admonere uolui, diu de huius epistolæ autore fuisse
 dubitatum, præsertim apud Latinos. Quod si esset du-
 bitatum, & merito dubitatū: certe leuius torqueret nos
 eius autoritas, & liberius esset ad eius interpretationē
 respōdere: nec adeo necesse foret uniuersam culpam in
 miserum interpretem reijcere. Verum hic, scio, ita uide-
 bor stultitiæ crimē deprecatus, ut impietatis incurram.

Quare epi-
 stolā ad he-
 bræos tar-
 de receptā
 dixerit in
 scholijs.

*Ep̄la ad
Hebr̄eos*

Ecclesiæ iu-
dicio se
submittit.

G

VI

quasi studeā eleuare p̄odus ep̄istolæ, cui⁹ autoritas or-
thodoxis omnibus sacrosancta est. Bona uerba doctif-
sime Faber. Imo magno emptū cupiā, ut ecclesia CHRI-
STI eiusmodi cum plures haberet ep̄istolas, quocunq̄
autore ad nos profecta est. Quod si mihi penitus con-
staret, quid ecclesia de ea censeret, promptissime acce-
derem eius iudicio: atq̄ adeo nunc si parum est certum
mihi, quo animo hanc ep̄istolam receperit ecclesia: ta-
men illud certissimum est, quicquid illa decreuit: me to-
to pectore sequi uelle: & si quid etiam secus uideretur,
semper animi mei sensum illius iudicio submittere, mo-
do ne protinus ecclesiæ calculū interpreteris, quicquid
cuius Theologo, aut fortasse non Theologo uisum
fuerit. Si uere iudicauit hanc esse Pauli, atq̄ ita nos iu-
bet credere: credo, & clamo esse Pauli. Sin recepit, ut di-
gnam quæ legatur à Christianis, cuiuscunq̄ autoris sit,
rem amplector, de autore nihil disputo. Si uult huius
autoritatem parem esse cum cæteris Pauli ep̄istolis,
nihil refragor: sequor lubens, quocunq̄ me uocarit ec-
clesiastica autoritas. At impium est inquis, de his dubi-
tare, cum iam ubiq̄ receptissima sit Pauli nomine, si
impium est conuellere, quod publicus ecclesiæ compro-
bauit usus: quid receptius, quid decantatius ea lectio-
ne, quam tu ut falsam ac mendosam, & CHRISTO in-
dignam insectaris? Minuisti eum paulominus ab an-
gelis. Tibi licebit errorem uocare, quod tam multis sæ-
culis

culis ecclesia legit, & sequitur: quod omnium penè orthodoxorum autoritas magno consensu approbat, & mihi non licebit ciuilitè addubitare, quo animo ecclesia hanc epistolam receperit, præsertim cum eam serius ac contantius receperit, Obijcis mihi synodi autoritatem. Profer synodum, quæ nominatim hanc pronunciarit esse Pauli. Quod si feceris, tuo telo te repetam, & locum hunc tibi uicissim impingam synodi autoritate comprobatum: quem tu non ueritus es ut impium, & CHRISTO indignū incessere. Nihil est enim quod ad Hebræos confugas, ut donemus Hebraice scriptam: certe nullus ausus est dicere, se hanc Hebraice scriptam uidisse, quæ Lucæ tempore iam interciderat. Quæcunq; synodus hanc approbavit, eadem hanc approbavit lectionem, quam tu falsam & impiam esse contendis. Nisi forte dicturus es, synodo fuisse codicem emendatum, in quo scriptum fuerit paulominus à deo: ac postea subito libros omnes Græcos & Latinos fuisse deprauatos. Quod si tu possis ita perfricare faciem, ut hæc dicas: haud tamē scio, an quisquam tam stultus futurus sit, ut credat. Ego de autore duntaxat aio dubitatum. Fieri potest ut Paulina nō sit, & tamen Paulinis etiam melior. Et addo contantius receptam à Romanis. Verum hoc tu fortiter reijcis, & negas fuisse dubitatum. Aequum est mi Faber, mihi dari ueniam, hac in re diui Hieronymi, aut diui Augustini autoritatem

toritatem sequenti. Certe apud Hieronymum crebra huius rei mentio, qui sic aliquoties adducit ex hac testimonia, ut penè liberum faciat aduersus quem agit, seu uelit recipere, seu nolit: sed ad manum est interim unus locus, qui satis sit ad absoluendum me mendacii crimine. Is enim edisserens Hieremias cap. xxxi. Hoc, inquit, testimonio Paulus apostolus, siue quis alius scripsit epistolam: usus est ad Hebræos, & tamen hic agit Hieronymus cum orthodoxis. Si constabat esse Pauli, ridicule adiecit, siue quis alius scripsit epistolam. Rursus Augustinus libro de Ciuitate dei. xvi. capite. xxij. citatur hanc epistolam, præfatur in hunc modum: de quo in epistola quæ inscribitur ad Hebræos, quæ plures apostoli Pauli esse dicunt: quidam uero negant &c. Nō dixit, orthodoxi dicunt esse apostoli Pauli, hæretici negant. Sed plures dicunt, quidam negant, numerum distinguens, nō fidem. Atque idem Augustinus cum aliis Pauli testimonia solitus sit adducere cum honorifica eius nominis præfatione, ex hac fermè sic allegat, Scriptum est in epistola ad Hebræos. Sic intellectum est in epistola ad Hebræos, Et de illo etiã in epistola legitur, quæ inscribitur ad Hebræos, ut appareat nec Augustino de autore satis constituisse. Tibi constat ab Apostolo scriptam: constat hebraice scriptam, de solo interprete non constat, quod in hunc uisum est, omnem conferre culpam, & istud impune fore putares. Atqui quisquis is fuit, qui in hæc addidit

Hieronymus

Augustinus

addidit argumētum: hanc, inquit, epistolā fertur Apo-
 stolus ad Hebræos conscriptā, hebraica lingua misisse:
 cuius sensum & ordinem retinēs Lucas, græco sermone
 composuit. En quæ hic cōtanter loquitur, quæ suspenso in-
 cedit gradu. Cur è duobus quæ pariter hic refert, alterū
 tibi constat, alterum reijcitur? Atque illud obiter adijciā:
 si epistola hebraice scripta extabat, quorsum addit, cu-
 ius sensum & ordinem retinens Lucas. Si iam intercide-
 rat hebraica: mirum est tantam tantis de rebus episto-
 lam, tā cito intercidisse, Cū Hierosolymis esset frequēs
 ecclesia. Vides omnino fuisse, qui de huius autore du-
 bitarint: nec admodum constituisse, fuisse Hebraice scri-
 ptam. Nec mirum te nihil addubitare, hominem adeo Creduli-
tas nimia.
 credulum, ut insulsissimā rabulæ cuiuspiam epistolam,
 qua testatur uersiculos, gloria patri &c. accini singulis
 psalmis: planè credas esse diui Hieronymi, tantū quod
 titulū habeat Hieronymi: Qui Pauli ad Senecā inscri-
 ptas epistolas, uere credas esse Pauli: Qui frigide confi-
 etum ad Laodicenses epistolium, adiunxeris reliquis il-
 lius epistolis ceu *γνήσιον*, ac germanū. Caterum parum
iudicio ac delectu credere, quæ omnia credere. Atqui di-
 uus, inquis, Hieronymus hanc citat Pauli titulo, & ali-
 cubi contendit esse Pauli. Citat nomine Pauli, quod à
 plerisque legebatur hoc titulo: nec erat ubiuis de autore
 digladiandū. Contendit alicubi esse Pauli: sed non hac
 o in re

in re tantum uaser. & à seipso dissentiēs Hieronymus;
 Quem facile crediderim huic fauisse epistolæ, ut erudi-
 tæ pariter ac piæ: & ut nō omīno abhorruit à Platonis
 & Origenis sententiā, uulgius aliquando fallendū esse,
 modo suo fallat bono, ita uoluisse credi Pauli, quo ma-
 iori cum fructu legeretur. Cæterum quid apud se sense-
 rit, incertum: imo si quis illius omnia legat attentius, nō
 usq̄ adeo incertū. Ego sanè de autore nihil interim pro-
 nuncio, mihi sat habeo, si non mentior olim de autore
 fuisse dubitatum, & dubitatū à nonnullis orthodoxis:
 quosdam etiā negasse esse scriptam à Paulo, quod mo-
 do Augustini testimonio docuimus, cum tu asseueres
 hoc nullos fecisse fideles, sed tantū Ebionitas, Marcio-
 nitas, & id genus pessimorum hæreticorum: sic enim lo-
 queris, quasi parum esset hæreticos dici, nisi addidisses
 pessimos: ut ne qd̄ interim cauiller de sermonis uitio,
 quo cum uolueris diuersum hæreticorum genus intelli-
 gi, idem genus expressisti, cum ais, id genus pessimorū
 hæreticorum, pro id genus hæreticos, etiam si iam pa-
 rum concinne cohæret pessimos. Eandem ueniam me-
 rebar, cum aio, sero receptā à Romanis: & hac in re Hie-
 ronymum autorem secutus: qui quod nō nescis, alicubi
 scribit epistolā ad Hebræos, non recipi à Romanis, nec
 Apocalypsim à Græcis. Quod si ætate Hieronymi nō
 recipiebatur à Romanis, sero recepta est: utpote post an-
 nos fermè quingentos. Tu fortiter asseueras ab ortho-
 doxis

Sic expen-
 datur sacri
 doctores.

Id gen^o hæ-
 reticos,

doxis semper receptam, à solis hæreticis refutatã. Istuc facile auferes, si modo Hieronymus illic Romanorũ nomine sentit hæreticos tantum. Nec tamen protinus refutat, qui nõ recipit: nam õn recipit etiã is, qui nondũ pronunciat. Hæretici reiiciunt hanc epistolam ceu parũpiam: & fateor partim horum argumenta esse, quæ recitat Hieronymus. Nam & hoc addis: quorũ sententiã absit, ut quisq; subscribat Christianus, etiam si fieri potuit, ut ob locos aliquot prima sermonis specie suspectos, quasi quibusdam hæreticis fauere uideantur, etiã orthodoxis nõnullis aliquãdiu suspecta fuerit. Quod si tibi constat esse Pauli: si constat à sacra synodo comprobatã: cur audes uel iota cõuellere, idq; tum primus, tum solus mortalium? Interpretem, inquis, accuso, non autorem. Quasi uero synodus aliã uiderit interpretationem, q̃ hanc qua utitur ecclesia. Quod si sic legit synodus, & epistolam approbauit: mirum ni & hanc approbauit lectionem, quam tu ut mendosam, & impiam iubes eradi. Porrò crimen inscitie quod mihi extremo loco impingis, adeo leuiter cõmouit, ut iuuerit etiam, ac uoluptati, risuq; fuerit, uarijs salibus eludis hãc meam argumẽtationem. Ambrosius nihil in hanc epistolam commentatus est: igitur aut nõ est recepta, aut sero recepta à Romana ecclesia. Sanè, inquis, eodem iure dicam epistolam Iacobi, duas Petri, & reliquas sero ab ecclesia Romana fuisse receptas, quãdoquidem Ambro-

Ambrosi⁹
 ī ep̄lam ad
 Hebræos
 nō scripsit,
 coniectura
 est nō esse
 Pauli.

fius nihil in eas est cōmētatus. Quā rē si hac ratione per-
 tinaciter defendere uoluero, explodari, irridebor, tota di-
 gnus uidebor Antkyra. Excute om̄es meas annotatio-
 nes in quibus abs te dissentio, & optimo iure dissentio:
 & uide num usq̄ eiusmodi salibus ludā in te. Vno tan-
 tum in loco, ubi lapsus erat manifestarius, ac planè pu-
 dendus: nisi tam esset om̄iū hominū commune labi,
 nihil aliud ascribo, q̄ demiror ei uiro tam profundū
 obrep̄sisse somnū. Non aliud comperies usq̄ dictum
 in te asperius. Atqui qui potui humanius, q̄ manife-
 stissimum lapsum, somnum obrep̄tem appellare: nec
 omitto tamen interim honoris præfationem, quo miti-
 gem admonitionem, addens ei uiro. Equidem non ia-
 cto dialecticam, etiā si puer eam utcunq̄ didici. Quod
 si nec Aristoteles mihi lectus fuisset, nec Boetius: quo-
 rum utrunq̄, ne quid aliud dicam, certe legi: tamen uel
 Ciceronis nostri Topica, uel Quintiliani institutiones
 me tantum docere poterant, non consequi necessario,
 Ambrosius non est in eam cōmētatus, ergo Romana
 ecclesia non recepit. Neq̄ enim tam stupide colligo, q̄
 tu proponis, declarans uere dictum à Terentio, Nihil
 tam esse rectum, quin male narrādo possit deprauari.
 Sic enim à me scriptum est: & de autore eius adeo fuit
 dubitatum, ut sero recepta sit à Romana ecclesia: quan-
 do quidem in hanc unam om̄iū nihil cōmētatus est
 Ambrosius. Neq̄ enim nō esse receptam colligo ex eo
 quod

*Comentarij frequent:
 per lapsum agitari, hanc
 mentione facit, de p̄latu*

quod Ambrosius in eā non scripsit, ut tu putas, sed coniecturam adglutino coniecturæ, iuxta prouerbiū, lino lino connectens, quo firmior esset *σωαδγοισμὸς*. Etenim ubi res à cōiecturis pendet, & desunt argumenta necessaria: coaceruatis probabilibus argumētis ratio cinari mihi fas est opinor, præsertim cum nihil asseuerem. Sero fuisse receptam, ut docui, testatur Hieronymus, à Romanis inquam. Siquidem hic Romanam ecclesiam uoco nō catholicam omniū, ut nunc uocamus, sed ipsos Romanos, ut uocat Cyprianus. Item de autore dubitatum fuisse, palam est: & paulo ante significaram inesse locos aliquot, qui nonnullos offendissent, & ad cæteras coniecturas uelut in aceruū adiicio, Ambrosium latinum, cum in omnes cæteras scripserit, in hanc unam non scripsisse. Nec est simile, Ambrosius nō scripsit in epistolas Petri, ergo sero sunt receptæ. Et cū Ambrosius latinus in omnes Paulinas epistolas scripserit: hac una præterita omniū maxima & disertissima, probabilius est & illum de autore dubitasse, quod ex alijs quoq; argumentis colligitur: uerū illud fuerit similius, Dionysius nominatim recenset ac numerat ecclesiæ sacramenta: & unius matrimonij non meminit, ergo probabile est, aut matrimoniū id temporis nondum inter sacramenta cōnumeratum, aut Dionysium septimū sacramentum ignorasse: aut siquid his inferre potes probabilius. Sit enim hoc exempli gratia propositū. Aut si

rex omnibus officijs suis donaret aliquid uno præteri-
 to: certe *εἰκός* esset regem huic non perinde ut cæteris fa-
 uere. Hæc argumentatio tamen nō colligit necessario,
 tamē ubi res à coniecturis ducitur: non est, opinor, usq̃
 adeo explodenda, ut totam Anticyram postulet, præ-
 fertim cum multæ simul cōiecturæ sese uicissim fulciāt.
 Sic enim iocaris in amicum, homo festiuus & meris le-
 poribus, ac gratijs cōcretus. Alioqui quis feret istam col-
 lectionem, quam recenset præter Rhetores & Boetius.
 Qui potuit nō amasse si rapuit? Aut hanc: si mater est,
 diligit filium. Aut qui ipse tueberis hãc qua hoc ipso in
 loco uteris. Hæc æditio fuit ante Hieronymū, ergo an-
 te Hieronymū fuit recepta à Romanis. Quasi uero ni-
 hil interesset inter ædi, & recipi. Aut, hanc mox ibidem
 utitur hac Hieronymus aduersus hæreticum, ergo rece-
 pta fuit à Romanis. Ista ratione sic colligā, utitur testi-
 monio euangelij Nazarenorum aduersus hæreticos, er-
 go fuit ab ecclesia receptum: aut Paulus utitur Epime-
 nidis & Arati testimonio, ergo recepti sunt horum libri
 ab ecclesia. Theologi passim utuntur Aristotelis libris
 aduersus hæreticos, receptus est igitur ab ecclesia. Con-
 iecturæ quas aliquot adduxerā, satis erant idoneæ: non
 ut inde quicq̃ affirmem, sed ut lectorem admoneam
 esse quod excutiat. Quanc̃q̃ ut ingenue fatear, si tum
 aut monitus fuisssem abs te, aut ipse per ociū rem pro-
 pius, attētiusq̃ perspexissem: aut omissem hoc loco
 huius

huius rei mentionem, aut aliquanto circūspectius induxisssem. Verum huiusmodi lapsus, quos aut incuria fudit, aut humana parum cauit natura: aliās libēter sarcie mus, dabimusq; sedulo operam, ne quam ansam praebeamus calūniosis, quando uideo te quoq; cætera tam candidum & humanū, hæc tam odiose exagitare: idēq; cum ad tuam causam, ut ais, nihil attineant. Et tamē uideri uis, coactus ad hanc disputationē descendisse, cum totius rei summa in hoc sit, quod legendum esse cōtendis à deo, & non ab angelis. Id cum ego non refellam: quid supererat quod te cogeret aduersus nos scribere? Deinde si maxime refellisssem tuam sententiam: si minus ipse merebar istam ciuilitatē, tamen tui ingenij fuerat, ab atrocibus dictis temperare, uel aliorum gratia: ne quis aut de tuis moribus, aut de mea doctrina deterius sentiat. Atq; utinam mihi licuisset hoc respondendi labore supersedere, & hanc operam iucūdiōribus in rebus collocare. Nunc toties urges dictis adeo sæuis, idēq; in medio uoluminis æditi, ne uel casu possit intercidere, ut silentium, conscientiaē crimen uideri possit. Stomacho ut potui temperaui, & ut ingenue, liberēq; meā defendi innocentiaē, ita à contumelijs cohibui calami, perpetuo cohibiturus si per te licebit, quod siquid offendit, hoc ipsum quod respōdeo, nō mihi debes imputare, sed ijs potius qui tui ingenij simplicitate ad hanc fabulā agēdā sunt abusi: quo cōmissis nobis, inter nos, ipsi

Stomacho
tēperauit
Erasmus.

Certandi
molestiam
deprecaī,

ipsi nostro dolore suā pascere uoluptatē. Scis uerissi-
 me dictum ab Aristotele, improbitati tantum occasio-
 ne esse opus, neq; nescis quanto plures sint improbi q̄
 probi: iuxta Græci sapientis apophthegma: Cōplures
 hoc ingenio nati sunt, ut uel gratis malis gaudeant alie-
 nis: atq; ita demū sibi meli⁹ esse credāt, si male sit alijs.
 Nonnullis omnes sunt inuisæ literæ, pleriq; bonæ. Ne-
 minem ferè nō offendit nouitas. Hi omnes ad occasio-
 nem inhiant mi Faber, Quo magis erat cauendum, ne
 ea à nobis illis porrigeretur, & ex ipso, quod aiūt, boue-
 lorum ministraretur. Cum enim utilitatis publicæ re-
 spectu, prouinciā inuidiosam utriq; susceperimus, con-
 sultum erat parteis nostras concordia & syncretismo,
 quod aiūt, fulcire. Quod si senserint nos inter nos mu-
 tuis collidi dissidijs: non solum conduplicabimus inui-
 diam, uerumetiam omnē studiij nostri fructum tot ui-
 giljs expetitur amittemus. Etenim qui nunc magnis
 clamoribus insectantur, quod in oratione dominica p-
 dimitte nobis debita nostra, mutare sim ausus, remitte
 nobis debita: quid dicturos existimas, si conspexerint
 nos ceu par gladiatorum in harena cōmissos, mutuis
 uulneribus inuicem confodere, & Balatronem, ac No-
 mentanum referre, qui apud Horatium alternis dicte-
 rijs in se debacchantur, ridentibus interim conuiuis. En
 inquier, egregios correctores, quibus autoribus opor-
 teat nouari tot sæculis comprobata mæditionem. Qui
 fidemus

fidemus illis, si inter ipsos non conuenit. Ita fiet, ut fabula mundi simus, & in conciliabulis, in foris, in computationibus, in aulis, in constrinis, in essedis, & nauibus, Erasmi, Fabriq; nomē obambulet. Tot exantlatis laboribus, hoc prēmij deniq; feremus. Quare te rogo charissime Faber, per amicitia nostram, haecenus à me sincere, purēq; cultam: per studiorū amorem, quo communiter ambo ducimur, etiam si tu felicius: quocūq; casu hoc accidit, redi ad tuum ingenium, redi ad tuos mores. Nos haecenus te non laesimus: ne sic quidem pro-uocati, sine me mei simile esse. Id fiet, si tu sis tui hac in parte dissimilis: ac ueterem illum Fabrum praestes, quē haecenus & coram, & literis om̄ibus praestitisti. Quod factum est, dissimulari non potest, liber est aeditus, excusari potest: ipse modis omnibus, fauebo purgationi, quemuis praetextum accipiam. Excidit unum hoc parū attento, Effluxit calore quodam, humanū est, aut huc perpulit instigator improbus, impositum est simplicitati tuae. Quod si nihil horū placet, uel in Aten aliquā: huius mali causam reiiciamus, quemadmodum apud Homerum facit Agamēnon: Præstat recurrere, q̄ pergere cursum male institutū. Odi ipse, ita me deus amet, hanc meam necessitatem, uel potius infelicitatem, qua coactus sum ad hoc scripti genus descendere. Non deerat quod agerē, & quauis in re malim horas meas collocare. Si literis ad me priuatim scriptis effudisses sto-

P machum

machum tuū: aut dissimulasset, aut priuatim me tibi
 purgasset: si ingenij crimē intendisses, neglexisset ca-
 lumniam. Nunc cum libris euulgatis me tuum facis ad-
 uersarium: ubi pro te facio: & ita facis aduersariū, ut tu
 CHRISTI dignitatem attollas, ego deiciā: tuus sermo
 sanctus ac pius sit: meus, CHRISTO deoq; indignissi-
 mus: tuus Christianorū, & eorum qui spiritu ducuntur:
 meus Iudæorū, ac infidelium, ac literæ occidenti adhæ-
 rentium: cum hæc non contentus semel dixisse, toties in-
 culcas & infulcis: tota disputatiōe, quid quæso factum
 oportuit? An debebam istas tuas notas tacitus agno-
 scere, præsertim cum ipse nō solum nihil istiusmodi co-
 gitasset, uerū ne in uerbis quidē lapsus essem? Quod
 si tibi uideor liberius meam egisse causam, cogita nihil
 esse liberius innocentia. Si qua uidebuntur indulta do-
 lori, cogita q; multa dolori nō permiserim. Videor mi-
 hi satis moderationis præstitisse, si contumeliam, & ta-
 lem contumeliam argumentis refello, non conuicijs.
 Meus stilius nullius adhuc cruore imbutus est, Patere
 mihi hanc laudem esse perpetuam. Hactenus utcumq;
 frenos inieci iusto dolori. Homo sum, quid in posterū
 ferre possim, incertus. Furor fit, læsa sæpius patientia.
 Aut si tibi cordi est nos impetere: eiusmodi criminibus
 urge, in qbus dissimulandis aut excusandis, lenitas lau-
 di ducitur. Hoc id genus est: ut si me purgē, cogar ami-
 cum lædere: sin obticescam, culpam agnoscere, pro qua
 depellen/

depellenda pulchrum est, & mortē oppetere. Si ista est propria & ineuitabilis studiorū conditio: ut necesse sit, aut excutiendis aliorum libris, alienam famam incesse: aut dum te purgas, nunc cum hoc, nunc cū illo digladiari: ualebunt mihi potius, aut mutus dormio, aut mihi cano & Musis. Quid enim est tam circumspecte scriptum, quod non queas aliqua ex parte cauillari? Quid rursus est tam incogitanter scriptum, quod nō aliquo prætenu possit defendi? Quod si certum est omnia ueterum scripta tueri pariter, omnia recentium ad istum calumniari modum: prorsus abstinendū est à calamo. At quanto rectius est ueteres sic reuereri, ut nō desit iudiciū: recentiores sic excutere, ut nō absit candor. Cum homines hominū scripta legimus, ad multa conuiendum est, quædā cōmodius interpretāda. Alioqui quid magni sit in meis, qui nihil sum, cōmentariolis reperire, quod iniquus interpres ad calumniam detorqueat, cum plurima sint in Hieronymi, Ambrosij, Cypriani, Augustini, & Gregorij scriptis, quæ sub iniquo iudice nullo pacto defendi possint: Nam quo tandem colore tueberis (ne nullum exemplū proferam) quod diuus Ambrosius excusans Petri negationem scripsit. Nam qui dixit, nescio hominem, æquū erat ut interrogatus utrū esset ex discipulis hominis, diceret, non sum. Itaq; non CHRISTI discipulum se negauit, sed hominis negauit esse discipulum. Itaq; & Petrus, & Paulus homi-

Homines
hominum
scripta can
dide inter/
pretentur.

*Ambrosius
in
Lucam.*

nem negauerunt, quem dei filium fatebantur. Obsecro
 si scriptorem hic suis uerbis urgeas: quid magis impiū
 dici poterat, q̄p̄ CHRISTVM non esse hominē, idēq̄ au-
 toribus Petro & Paulo? Huic affine est qd' scribit *Augustinus*
 Augustinus in psalmū octauū. Quare uermis? quia mor-
 talis, quia de carne natus, quia sine concubitu natus.
 Quare nō homo? q̄a in principio erat uerbū, & uerbū
 erat apud deū, & deus erat uerbum? Quis ferret ideo
 CHRISTVM negari hominē esse, quod deus sit? Rur-
 sum qd' scripsit in ope de Trinitate: Apostolos CHRI-
 STO ascensuro in cælum, hoc tantum credidisse, quod
 uidebant: nō blasphemā uideatur in sanctos Apосто-
 los, quasi nondum deum esse credidissent, cum Petrus
 tanto ante cōfessus sit filium dei uiui, & Thomas aper-
 tius dominū ac deum suum agnouisset? Hæc & huius-
 modi permulta si pie scripta credimus, si cōmode inter-
 pretamur in tantis autoribus: cur tam morosi & iniqui
 sumus, in recentiorum libris? Balbutiunt ut possunt de
 rebus diuinis eloquētissimi: & sermo noster ad unguē
 exigitur? Si fidei synceritas cōstat: inhumanum est in
 uerbis excitare tragœdias. Quid quod nō solum ab hu-
 manitate alienissimū est, uerum etiam impiū, & cum
 Christiana charitate pugnās: omissis tuis rebus, in alie-
 nis scriptis obambulare, & Momū quendā, seu potius
 sycophantā agere: haud animaduertentē, q̄p̄ iniquam
 legē interim in teipsum statuas: nisi forte putas omnia
 tibi tam

tibi tā circumspecte ubiq; dicta, ut nihil omnino possit reprehendi: cum in hac una disputatiūcula tam multa sint, quæ uel æquū lectorem offendant. Nisi forte bellum tibi spectaculum uidetur, Hieronymus cum Ruffino tot libris dimicans, aut cum Augustino cōsilians, etiam si cum hoc postea redijt in gratiam, sed nō prius q̄ omīssa disputatiōe: adeo nullus est qui uelit ingenio cedere, iuxta Martialis sententiā. Aut nisi magnificum facinus esse credis, quod decem Pici conclusiones expugnauimus, uel uexauimus magis, ac tam felix ingeniū à iuuandis sacris literis auertimus: ac probas pertinacē illam, & odiosam infectationē, qua iam annos complures aduersus Reuchlini libellum, nescio quē, obscurum, belligerātur tot scholæ Theologorum, totusq; prædicatorum populus? Mihi pro nostra amicitia uehemēter molestum fuit, quod te quoq; à crabronibus istis impeti sentirem. Nam Basileæ legi epistolam, qua Cardinalis Senogallensis tuā agebat causam, aduersus eos, qui calumniabantur te psalmo trigesimo, annotasse ex sententiā Cardinalis Nicolai Cusæ, animam CHRISTI apud inferos passam esse cruciat⁹: & sic agebat causam tuam, ut satis haberet, si te ab hæreseos nota liberaret. Quin & ipse audiui uiros eruditos, ac magnos, inquirentes in tuos cōmentarios, quosdam etiā annotasse quædam calamo. Quod si probas istā morosam & iniquā diligētīā, quæso quis erit aut finis, aut fructus? Nusq; De uerbis non est potest naciter digladiandū

August.

nō erit quod calumnietur, quisquis in hoc librū sumit in manus, ut calūnietur. Quin potius ea lex nobis placet, quā diuus Augustinus in omnibus scriptis suis ratam esse uult. Sic em̄ loquit̄ libro de Trinitate primo, cap. iij. Proinde quisquis hæc legit, ubi pariter cert⁹ est, pergat mecum: ubi pariter hæsitat, quærat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me: ubi meum, reuocet me. Ita ingrediamur simul charitatis uiam, tendentes ad eum, de quo dictum est, quærite faciē eius semper. Et hoc, inquit, placitū, pium, atq; tutū coram domino deo nostro cū omnibus inierim, q̄ ea quæ scribo legūt, & in omnibus scriptis meis, maximēq; in his, ubi quæritur unitas trinitatis. Quanto consultius hoc mi Faber, q̄ mutua reprehensione & nostrum, & aliorum perdere studium: imo iuxta Paulum, dum inuicem mordemus, & mordemur, alium ab alio confici. Equidem arbitror ne CHRISTO quidē esse gratum: sic suam defendi dignitatem, ut Christiani famā indigne laceremus. Pacis autor est: concordia suorū potissimū oblectatur, siue quid est officiū, siue quid est contumeliā, in se admissum ducit, quod in fratrem admiseris. Equamlibet leui scintilla dissidium nascitur: at semel natum, late spargit incendium. Accurrunt hinc atq; hinc, qui fauēt, qui amant, qui oderunt, qui inuident, hic frigidam ut aiūt suffundit: ille oleum camino adiicit, bellum repente fit, quod erat monomachia: nec finis, donec res in rabiem exeat.

exeat. Fit interim iactura charissimæ possessionis, quã
 ego in amicis sitã arbitror. Mihi succensent tui: tibi for-
 tasse nõnulli meorũ indignantur. Quanto placabilius
 erat, cõmunicatis inuicem amicis, conduplicato lucro di-
 tescere: Si fieri potest, ut quemadmodum ait Hierony-
 mus, in scripturarum campo sine nostro dolore luda-
 mus: age mutua conflictatione uel doceamus aliquid,
 uel discamus. Sin hostis est tibi: qui quocunq; modo
 abs te dissenserit, si talibus saxis petitur, excedo cãpo:
 hac lege non congregior. Gladiatorum ista pugna est,
 non Theologorum. Est humanus error, est & Christia-
 na correptio. Ego sic lapsus tuos correxerã, ut gratiam
 etiam me sperare initurum. Et apud me sanè iniret, qui
 sic admoneret. Neq; uererer ipsum Hieronymũ si uiue-
 ret, si sic lapsus fuisset, itidem admonere: nec dubitare,
 quin is boni consulturus esset. Ignoscendus error, si ni-
 mium bene de te sensi. Siquidẽ tu maluisti regerere cri-
 men, q̃ emendare monitus erratum. Ego tantũ adno-
 tarã in uoculis aliquot esse lapsum te: nihil ultra exag-
 gerans, tu ubi nihil cõmissum est, impietatis crimen im-
 pingis. Sic charitatis officium officio p̃sas. Diuus Augu-
 stinus nõ dedignat̃ reuocari, cũ lapsus est: tu cũ nondũ
 Episcopus es, imo nec in Theologorũ, opinor, senatum
 allectus, turpe putabas, si proxima æditione quædam
 mutasses: ac maluisti tam multos tecum errare, q̃ tuũ
 errorem agnoscere. Nondũ contuli singula, sed tamen
 in aliquot

in aliquot incidi loca, in quib⁹ demiror quid tibi uolueris, ut ex animo loquar mi Faber. In epistola ad Colasenses cap. ij. indicarā te lapsum in uerbo *καταβραβέτω*. Cumq; rem Hieronymi, & Græcanicorū scholiorū, postremo & Ambrosij autoritate demonstrassem, subijcio. Ex his satis liquet, quantū absit à uero Iacobi Stapulensis, hominis alioqui eruditi, hoc in loco sentētia. Vide num qua sit hic insectatio: num quid simile tuis. Refutamus animose, ut CHRISTO deoq; indignissimum. Quin ultro excuso lapsum tuū, addens: Verum hunc in errorem induxit Valla, qui putat *καταβραβέω* esse, ad brabium euocare, siue brabium ostentare. Et tamen ne sic quidem admonitus, putasti locū hunc mutantū. Etiānum legitur in tua translatione: Nullus uos ad brabium uocet uolens. Adhuc mordicus tenes tuā coactissimā enarrationem, ab omniū ueterū interpretatione dissentientē. Tantum addis in examinatione: Nemo uos brabio frustret: aut, nemo uos ad brabium uocet. Sunt em̄ qui uocabulum *καταβραβέτω* hic positum hoc potius significare putant. Iuxta quorū intelligentiam interpretati sumus. Primū nihil interest, utrū frustrare brabio dicas, an interuertere brabium? Dein tantū ualet apud te Laurētij autoritas, ut hūc unū, q̄ Theologos ueteres omnes, & in his Hieronymū sequi malueris? præsertim cum Valla nullius autoritate cōfirmet, quod dicit? Iam illud mihi uide te rogo, cum
ista

ista tractares, cum publicam mundi lectionem mutare
 uelles: indignum tibi uisum est dispicere, quid legeret
 Ambrosius, quid annotasset Hieronymus: harū rerū
 haudquaquā incuriosus, quid prodidissent Græci inter-
 pretes? An res tā serua, tibi tā leui brachio, neglectimquē
 uidebatur agēda? Nec hæc dixerim optime Faber, quo
 te criminer, sed ut in posterū reddam attentiorē. Quan-
 doquidem & in cōmētarijs, quos in psalmos ædidisti,
 mallem paulo diligētius obseruasses, quid sensissent su-
 periores interpretes: quorū maxima turba est. Rursus
 in epistola ad Ephesios capitulo quarto: ubi pudendo
 lapsu, ex κυβεία κυκείαρ, nescio quam feceras, quoniā nul-
 lo modo poteras tergiuersari: in translatione quidem
 pro turbatione reposuisti nequitiam, cæterum in expo-
 sitione reliquisti turbationē: nec mutas ridiculam & co-
 actam interpretationē. In examinatione uero, pristinā
 annotationē sustulisti: nec tamen exponis, quid sibi ue-
 lit κυβεία, perinde quasi nequitia, Græcam uocem expri-
 mat. Si nihil hic erat annotandū, cur annotaras in prio-
 re æditione? Si erat, cur hic prætermittis? Si non place-
 bat quod ego adduxeram, quin tu melius adferebas?
 Iam nō postulo ut agnoscas monitorem, sed in docen-
 do requiro ingenuitatem, Etiam si hic magis eram tibi
 nominandus, quā illic ubi nihil ad te pertinent quæ scri-
 bo. Quid istuc quæso pudoris est, ne dicam supercilij?
 Vsq; adeo ne turpe putas παλινορθῶν? Ad hæc in episto-
 q la ad

la ad Philippenses capite secūdo, ubi p̄ ἀσθενήσας uertisti, ex deliberatione positurus est animā, cum ego citra tui nominis notā indicarim Græci participij uim, tu tamen pertinaciter adamas tuū illud ex deliberatione positurus. At primū, quis unquē dixit ex deliberatione, p̄ consulto? Deinde cū græce sit ἀσθενήσας participiū indefinitū, qui possit esse positurus? Magis uertendū erat, tradita, siue periculo exposita uita. Rursus quis hominū dixit ponere, pro periculo exponere? Nā qđ CHRISTVS ait, Ego animā meā pono: ponere dixit deponere. Sed quēadmodū in annotationib⁹ meis prudēs plura dissimulaui, quo paucis annotatis, te redderem cautiorē: plura indicaturus, si fors hoc à me literis tuis flagitasses, ita nō est animus hic om̄ia persequi. Sed tamen erat tuæ fidei, cum rursus euulgares opus, eradere quādā, quæ docti nec sine risu, nec sine stomacho lecturi sunt. Quod genus est illud in epistolæ ad Ephesios capite sexto, Aduersus spiritalia nequitiae in cælestibus: ubi doces legi posse in cælestes, id est aduersus cælestes, cum græce sit ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Quasi uero præpositio ἐν ullo pacto Græcis sonare possit aduersus, quēadmodū facit εἰς. Hæc mi Faber cū scribis, qđ aliud quē teip̄m pueris quoq; deridendū ppinas. Huic simile est, qđ καὶ ὀφθαλμοδουλείαν uertis ad oculum seruitio, quasi non multo latinius interpret uertisset ad oculum seruientes. Iterum quod in epistolæ prioris ad Corinthios

rinthios capite septimo, *παράγει ἢ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου*
 & uertis & annotas: decipit figura huius mundi, non at-
 tendēs *παράγει* neutrum esse uerbu, quod uel ex alijs lo-
 cis poteras colligere, praesertim cū toties legas in euan-
 gelio *ὑπάγε ὀπίσω* uade retro. An nō istud erat mutan-
 dum, praesertim cum id solus produxeris, omnibus re-
 tro scriptoribus tuæ sententiæ refragantibus? Et tamen
 uides, q̄ nec hic exagitem te in annotationibus meis,
 cum optimo iure possem. Rursum eiusdē epistolæ cap.
 quinto, *συναχθέντων* reclamantibus omnibus, tum Græ-
 cis, tum Latinis: atq; ipsa etiam græca grammatica, uer-
 tis, & annotas uertendum esse, cōdolentibus uobis, pro
 congregatis uobis. Quid hoc lapsu uerius, & tamē hoc
 loco uide q̄ honorifice, quāmq; reuerēter abs te dissen-
 tiam. Nihil hic in homine tui studiosissimo desyderare
 potes, nisi quod tecum non sentit, & quod tui nominis
 mentionē facit, quādo alioqui nec amantius, nec hono-
 rificentius fieri potuit. Et tamen ut fieret, res ipsa com-
 pellebat. Id ita esse facile perspiciet cordatus lector, qui
 tua cū meis attentius contulerit. Atq; adeo quoniā nō
 est quibuslibet copia uoluminū mea subscribā. Faber
 in q̄ Stapulensis amicus noster, hunc locū mutauit, uo-
 lens *συναχθέντων* deduci à *συνάχθουμαι*: cuius in hac quidē
 parte nō subscribo iudicio, etiāsi aliās eruditissimo, pari-
 ter ac diligētissimo uiro lubēs assentior. Lapsus excusa-
 ri nō potest, ac ne regi, dissimulari uē possit, abs te ipso

curatum est. Et quanquā in diuinis libris nullus error nō
& frigidum sensum inducit: tollit id, quod graues, pro-
batiq; interpretes annotandū duxerunt: nempe Paulū
cum esset Apostolus ab ipso CHRISTO institutus:
haud tamē sibi sumere, ut solus ueluti suo nomine sen-
tentiam pronūciat, sed eam à cōmuni ecclesiæ consensu
uult proficisci. Secus q̄ hodie faciūt Episcopi quidam,
meram Tyrannidem exercētes in suos: cunctaq; geren-
tes, non ex publico consilio, sed ex animi libidine. Dein
de monebat hic locus propalam cōuincendū & emen-
dandum. Siquis id forte cōmeritus fuerit, nō priuatim
aut clanculū: partim ut huius unius exēplo ceteri deter-
reant à peccādo: partim ne quis oppressam aut iniuste
damnatū queat calumniari. Hanc tam salubrē admo-
nitionem sustulit tuū condolentibus. Ergo cum operæ
precium esset iudicare lapsum tuū, & id publica suade-
ret utilitas: qui fieri potuit amātius, aut honorificētius,
aut syncerius q̄ à me factum est? I nūc, & tuā istam be-
neuolam disputationem, si libet, cum mea reprehensio
ne cōponito, Si modo hæc reprehensio dici debeat. Ni-
hil hic aceti, nihil puris, nihil stomachi, nihil ostentatio-
nis, Sic me deor errori, ut foueā amicum, cum tu amicū
nec lapsum, nec contra te facientem, toties aceto perfun-
das in unica disputatiuncula. Neq; uero tanta erat tua
autoritas, ut hanc meā ciuilitatem aliquis possit metū
interpre-

interpretari, aut tanta felicitas, ut præmij spe uideri possim adulatus. Charitatis erat hic pudor non assentationis aut timoris. Sed ut pergamus in epistola ad Corinthios secunda, capi. sexto. quis oro te laturus est uoces istas nihil omnino significantes secundorū & aduersorum? & tamen nec admonitus mutasti. Rursum eiusdem epistolæ cap. x. Cum ridicule ex uno aduerbio, siue maius præpositione ὑπερέκεινα, duas uoces feceris, ὑπερέκεινα. (Neque enim aliter dicitur ὑπερέκεινα, ἢ ἐπέκεινα, quod ἐπί sæpe polleat idem quod ὑπερ) uerterisq; quæ supra illa uestra sunt, nō mutas uersionem, tantū in examinatione qd̄ ante magis arridebat: quæ ultra illa uestra sunt, uertis in, quæ ultra uos sunt: & græce loquēdi regulam de ὑπερ, quoniam aliquis opinor admonuit palam esse falsam, cum ὑπερ κεφαλῆς Græci dicūt pro ὑπεράνω ἢ κεφαλῆς, omisisti in proxima æditione. Quod omisisti laudo, quod unguibus ac dentibus alterū illud retines, cū planè ridiculū sit omnibus qui græce sciunt, non laudo. Atq; item in epistolæ ad Ephesios capi. quinto. Cum unus omniū & Græcorum, & Latinorum, ex luxuria facis insalubritatem, nōne ex Apostolo medicum facis? Ac ne id quidem admonitus mutādum putasti. At siuge ἄσωτίαρ dici ἄσως, etiam si iuxta etymologicos ἄσωςα dicitur: nō continuo significabit ἄσωςος insalubrē, sed perditum: & perditū luxu dicūtur etiā Terentio. Tu uideris luxuriosum pro libidinoso, siue effœminato ac

οὐδὲ
 q 3 cipere.

cipere. Deinde uersus ad iocos, Certamē uocabuli relin-
 quis Grāmaticis: quasi cum hæc excutis, non sumas tibi
 partes grāmatici, & addis bellam facetiam. Grammati-
 cos diligentius exquirere uocabulorū origines, q̄ Philosophi
 caput Nili, opinor: ut eximas te à Grāmatico/
 eum numero, & in Philosophorū ordinem afferas. An
 Grāmatici te in suum recipiāt gregem, nescio: & an Phi-
 losophi de Nili capite torqueant sese, tu uideris: unum
 hoc scio, magis ad rem pertinere, an Paulus hic intelle-
 xerit luxum frugalitati & sobrietati cōtrariū, an insalu-
 britatem medicorū curam, q̄ unde Nilus caput suum
 proferat. Rursum in epistola ad Titum, ἡ κηρύγματι ὃ
 ἐπισεύθηρ ἔγω, quod tu uertis, cui creditus, siue cōmissus
 sum ego: non solum monitus non corrigis tam puden-
 dum errorem, uerū etiam cōduplicas in posteriore adi-
 tione: testans te reliquisse ueterem trāslationem, & ad-
 dens idem pollere, quæ credita est mihi, & cui creditus
 sum ego. Hic appello mi Faber conscientiā tuam: cum
 ista scriberes, non cogitabas, quo risu lecturi essent eru-
 diti? An idem pollet Græcis, ὃ ἐπισεύθηρ & ὃ ἐπισεύθηρ.
 Atq; ipse legis, ὃ ἐπισεύθηρ. Quanq̄ si legatur, ὃ ἐπισεύ-
 θηρ, ostenderā tamē Græcis sensum hic eundē esse, Aut
 nihil refert Latinis, utrum dicas, cōmissus est mihi Pe-
 trus, an cōmissus sum Petro? sic enim doces. Quod tam
 insignite lapsus esses, ego somnū obrepentem uocaui.
 Caterum quod amice monitus ista non corrigis: rogo
 quo

quo tandē appellabo nomine? Iam eodem in loco carmen illud, Gnosius usq; loquax, mala bestia, uiscera pigra, profecto demiror tibi tam obstinate placere. Præterea i epistola ad Corinthios priore, capi. duodecimo, quid opus erat annotare *καὶ οὖν μὴ ἴδeto ὁ θεὸς ἐν ἐκκλησίᾳ* uerti posse, & suos quidem posuit deus in ecclesia? Cum palam *οὖν* illic usurpatū pro *τοὺς*, nō pro *εἰς*: qui sermonis typus, cum plus decies sit obuius in nouo Testamento, non debebat tibi uideri nouus. Huiusmodi permulta cum essent in tuis cōmentarijs, & quædā indicassem: erat tuæ uigilantiæ in posteriore ædicatione, cætera ex teipso ppendere, & ridendi materiā adimere natus. Atq; ista q̄ indicat, & indicat amice, putas hoste: & tali dignū gratia, qualē mihi in tua disputatione retulisti? Atq; utinā in totū ab ista uertendi, annotādiq; prouincia temperasses: quæ ut dixi, nō erat tui negotij. Maiora poteras: hæc quantū uis humilis est, tamē utriusq; linguæ peritiā poscebat. Qua quidē in re quātum ualeas, nihil attinet dicere, cū scripta tua palam testentur. Rursum in epistola ad Philippēses cap. primo, admones, *οἱ μὲν ἐξ ἐριθείας*, & *οἱ δὲ ἐξ ἀγάπης*, potius uertendum fuisse, qui, quā, quidā, nec animaduertis esse articulum præpositiuū distribuētē, non *οἱ* postpositiuū antecedente tono: ut ne dicā interim nullū omnino sensum existere, si legas qui. Iam illud tibi perpetuū est in examinationibus: quod quicq; codex tuus græcus ha-

buit, Paulo incōtanter ascribis. Quasi uero nō alicubi
uariēt Græci codices, aut nusq̄ deprauati sint, Cum in
bellissimo quodā exemplari sic cōpererim scriptum in
epistola ad Corinthios secūda, *δεόμενοι ἡμῶν πλὴν χάριμ
καὶ πλὴν κοινωνίαν τῆς διακονίας φη εἰς τοὺς ἁγίους δέξασθαι ἡμᾶς.
ὅτι πολλοῖς τῶν ἀντιγράφων οὕτως εὑρηται, καὶ ὅτι καθὼς ἠλπίσαμ
εν,* uidelicet cō pluribus uerbis ex marginali spatio, in
mediū contextum translatis, ab illiterato scriba. Quod
quo perspicuū sit, & his qui græce nesciūt uertām, oran
tes, ut gratiā & cōmunicatiōē ministerij in sanctos ac
ciperemus nos: in multis exemplaribus sic inuenitur, &
non quēadmodū sperauimus. Palam est, hæc uerba in
multis exēplaribus, sic inuenitur, ab alio quopiā in mar
gine fuisse annotata. Parū igitur tutū, statim fidere co
dici tuo, nec p̄tinus erat pronūciandū, nisi circūspectis
om̄ibus. Hæc mi Faber, atq; huiusmodi innumera, si cu
rasses proxima æditione corrigēda, cōsuluisses honori
tuo, atq; interim meo quoq; uel qd' amicorū cōmunia
sint omnia: uel quod in simili negotio tā insignis error
tuus mihi quoq; fidē abrogat, apud imperitiores. Nūc
adeo nihil horum tibi curæ fuit, ut uideri possis nō ob
aliud istā æditionē accelerasse, nisi ut amicū incesseres.
Sic em̄ omnino uideo quosdā interptaturos. Quid ni
em̄ huc torqueant reprehensionē tuā tam uerbosam &
accuratam: qui laudes etiam meas, quibus me in calce
disputationis ornas, uel potius meum caput demulces,
sinistre

sinistre interpretatur. En, inquit, tribuit uigilantiam,
 tribuit eloquentiam, linguarum peritiam, sedulitatē er-
 ga literarum studiosos, bonū uiram nusquā audet dice-
 re, hoc est, industriā & ingeniū modo prādicat, cū prā-
 cipua laudū pars sit uita, moresq; laudati. Postremo
 non Theologum me uocas, sed theologiae professionis
 assertorem. Quid aliud est, inquit, theologiae profes-
 sionē asserere, quā arrogare sibi, ac uindicare? Atqui ni-
 hil est quod mihi minus asserā, quā theologiae profes-
 sionem, etiā si pridem ita perpellentibus amicis quibusdā
 nomē dedi ordini theologico. Vbi in scriptis iacto no-
 men Theologi? Quis unquā uel in familiaribus collo-
 quijs audiuit me mihi hoc nomine placētem? At tuas
 laudes quā plena, ut aiunt, manu effundo? quā non parce,
 quā candide? Sed tu fortasse metuebas, ne praestare co-
 gereris, quod mihi tribuisses: iuxta uetus prouerbiū,
 ἔγνων, πᾶσα δ' ἄτη. Verum hic ipse nihil queror, plus satis
 est, quod largiris. Tantū molestum est, istis datam esse
 ansam, ut huiusmodi nobis obganniant. De laudibus
 meis nō soleo gloriari: nostram amicitia in omnibus li-
 teris, in omni cōfabulatione, iactare soleo. Hanc, ut ap-
 paret, gloriā aliquis mihi inuidit, cuius oratio te ad ami-
 cam istam disceptationē incitauit. En, inquit, fruire
 tuo Fabro. Habes amicū, cuius synceritatē, cuius mode-
 stiam, cuius sanctimoniā, nunquā satis praedicasse tibi ui-
 debaris. Tot tuas annotationes, unica notatione reta-
 liauit:

liauit, uere ut ipse inquit abunde. Sed expostulationis & querimoniarū iam finis esto. Quod factū est, his rationibus infectum fieri non potest. Superest ut utriq; cōmuni malo, quoad licet medeamur. Si tibi dolet qd' respōderim, mihi magis dolet, quod huc sim coactus. Malebā hanc operā uel falsis laudibus ornādo amico impendere, cū ueris rationibus refellendo, & me duntaxat purgauim: nō sum infectatus tua, qua quidē in re mi Faber, nolim te quid possim experiri. Si posthac sensero te talem, qualē semper tum habui, tum prādicauim: casum hūc unū uel fatis, uel Eridi, uel Atæ Homericæ, uel alij cuiilibet deorū, aut hominū imputabo. Sin pergis incessere amicū non amice, cogar & ipse meā de te mutare sententiā. Sed bona uerba potius. Confido te facturū, qd' & ipse opto maxime, & magis ex re utriusq; deniq; CHRISTO longe gratius futurū est. In hāc partem habebis me p̄ omnia facilē, ac fauentē. In altera qualis sim futurus nescio. Bene uale Faber eruditissime, & si pateris etiā amicissime, Louanij, Nonis Augusti. AN.
M. D. XVII.

APOLOGIAE DES. ERASMI ROTERO/
DAMI, AD INSIGNEM PHILO/
SOPHV M IACOBVM FA/
BRVM STAPVLEN/
SEM, FINIS.

B A S I L E A E A P V D I O

A N N E M F R O B E


N I V M M E N S E


F E B R V A R I O,

AN. D. XVIII.

*Pagina 56. uersu xix. lege, Sed uera tamē opinor, nō
uana aut ficta: unde sequitur uere &c.*









Th
5969